


ÆGIDII ROMANI

DE

REGIMINE PRINCIPUM DOCTRINA



HANC THESIM TUEBITUR

V. COURDAVEAUX,

IN FACULTATE PARISIENSI JAM LICENTIATUS.



PARISIIS

EX TYPIS W. REMQUET ET Cie,

via dicta Garancière, 5

1857

A MONSIEUR JOURDAIN,

HOMMAGE DE RESPECT ET DE RECONNAISSANCE.

DE

REGIMINE PRINCIPUM DOCTRINA.

PROOEMIUM.

Multi quidem apud veteres recentioresve de politica arte disseruere, quorum opera nunc admiramur, quorumque nomina tanta laude tantaque gloria apud nos celebrantur, ut nonnullis soli de hac materie aliqua digna relatu scripsisse pene videantur. Multi quoque tamen, per longum *mediæ ætatis* intervallum, iisdem studiis, non minori diligentia, incubuere; quibus jam ab undecimo sæculo auctus ardor e controversiis inter reges et Summos Pontifices de mutua dominatione ortis. In his jam plerasque, quæ posthac, plenius illustratæ, prævaluere, sententias reperire est; et maximum certe operæ pretium foret, diversa illis temporibus politicæ

scientiæ monumenta e tenebris eruere, et in plenam lucem exponere.

Immensum hoc opus feliciter absolvant alii; nobis partem quantulamcunque laboris suscipientibus, unius Ægidii vestigiis institisse, unumque volumen evolvisse sit satis, nec plura de aliis scriptoribus disseruisse, quam quæ ad judicium de nostro auctore ferendum fuerint necessaria.

De ipso autem, priusquam scriptis incumbamus, pauca et brevia dicere non inutile erit.

ÆGIDII VITA[1].

Prout res ex historicis colligere potuimus, Ægidius, Romanus patria, Columna dictus, anno MCCXLVII natus (ex illustrine Columnensium domo, incertum), Romæ prima studiorum tirocinia posuit, ubi in Philosophicis et in Theologicis Thomam Aquinatem magistrum habuit, tanto scientiæ profectu, et præceptoris doctrinæ tam mordicus adhærens, ut ejus sanctique Bonaventuræ defensionem adversus

(1) In hac enarranda Ægidii vita auctores secuti sumus, deficientibus aliis :
Possevinum (Apparatus sacer);
Baronium (Annales ecclesiastici);
Guilelmum Cave (Scriptorum ecclesiasticorum historia litteraria);
Natalem Alexandrum (Historia ecclesiastica);
Philippum Bergomensem (in Supplemento chronicorum, anno 1316).

Guilelmum, sanctæ Theologiæ professorem Oxoniensem, juvenis admodum susceperit, editis ad hunc finem geminis libellis, quorum alterum, *Divi Thomæ defensorium, seu Correctorium corruptorii,* alterum, *Defensorium divi Bonaventuræ,* nuncupavit. Circa eadem tempora in ordinem fratrum Eremitarum sancti Augustini ingressus est, apud quos egregiam nominis famam doctrina morumque gravitate sibi conciliavit. Inde a variis academiis diversisquè principibus expetitus, Lutetiam se contulit, in quam a Philippo Audace ad Philippum filium, cognomine Pulchrum, bonis litteris ac moribus imbuendum, evocabatur. Ibi alumno pergratus, librum de *Institutione principum,* sive *De regimine regum,* ipso requirente, composuit. Inde, post Philippi Audacis mortem, a Philippo Pulchro electus fuit, qui ipsum a Remensibus sacris regressum, ex veteri Parisiensis Facultatis more, solemniter alloqueretur.

Doctorales infulas in Facultate Parisiensi, Aquinatis exemplo, consecutus, primus sui ordinis in hac Facultate disseruit, summaque auditorum frequentia, de libro *Sententiarum* commentarios exposuit.

Unde *Doctoris Fundatissimi* nomen, ob mirum in eruenda veritate ingenium, assecutus est. Quin et jam anno MCCLXXXVII, in comitiis generalibus Florentiæ congregatis, Eremitæ Augustiniani decreverunt, Fratris Ægidii doctrinam (*quæ mundum,* ut ipsorum verbis utar, *universum illustrabat*) ab om-

nibus ordinis sui lectoribus et studentibus esse recipiendam et inviolabiliter observandam. Mox anno MCCXCII, plenis ordinis sui comitiis Romæ habitis, Prior Generalis communi suffragio renuntiatus est; quo tamen munere post triennium sponte se abdicavit.

Anno MCCXCVI, satagente ad id Philippo rege, a Bonifacio Octavo (cui admodum carus erat, cujusque electionem ad Pontificatum, edita apologia *de renuntiatione Papæ,* tutatus erat), Bituricensium Archiepiscopus, et Aquitaniæ Primas constitutus est. Mox tamen, quum inter regem et Summum Pontificem exarsit implacabile dissidium, in regis propugnationem librum perscripsit, *De Utraque potestate* dictum, in quo probavit *utramque potestatem* esse distinctam, nec Romanum Pontificem ullum habere dominium in regum et principum *temporalia.* Romam nihilominus, invito rege, ad concilium a Bonifacio convocatum, cum quadraginta et quinque aliis Episcopis, fere eodem tempore, se contulisse videtur.

Reliquam certe vitam, redux apud Bituriges, in litterarum studio, et in assidua gregis sui cura consumpsit; ita ut, regii juris, quum oppugnaretur, defensor, in iis quæ Philippi regnum dehonestavere, nunquam innotuerit (1).

(1) Omnes quos nominavimus de Ægidii vita scriptores, librum *De Utraque potestate* dictum ei attribuere; et sub ejusdem nomine in secundo tomo Mo-

Obiit Avenione Ægidius, die XXII mensis decembris, anno Christi MCCCXVI, ætatis LXIX. Philippus Bergomensis, in supplemento Chronicorum (anno MCCLXXXV) cum miraculis inclaruisse scribit, et ob meritum sanctitatis *beatum doctorem* appellatum fuisse; sed non apud quemquam alium tale testimonium reperire potuimus.

Corpus Lutetiam translatum, in Ecclesia Augustinianorum, juxta majus altare, conditum est.

Multa scripsit philosophica, Theologica et moralia opera, quæ Bellarminus, Possevinus, Trithemius, Gesner et Guilelmus Cave recensuere.

Admirandus certe vir non minus virtute et moribus, quam scientiæ studio et doctrina; qui dignus fuit cujus opera omnia in lucem religiose ederentur. Nos unum saltem inter hæc volumen explanare, pro nostris facultatibus, conabimur.

De modo demonstrandi et de operis fine.

Tritam quidem viam ingressus est Ægidius, sed proprio per hanc incessit gressu, non minus pro-

narchiæ Imperialis Goldasti invenitur. In dubio autem nunc ponitur utrum ab Ægidio vere sit hic liber. Hanc controversiam retulisse nobis sit satis, quum dirimere non licuerit. Forsan autem aliquot in alteram partem argumenta ex hoc opusculo colligi poterunt.

cedendi modo quam doctrina notandus. Omnes enim qui de politica arte ante eum disseruerant (1), licet gentilibus scriptoribus, quasi magistris ducibusque uterentur, ita simul *Sacrorum Codicum* auctoritate nitebantur, ut Gentilium quidem sapientiam et ipsam humanæ rationis vim in adminiculum Christianæ doctrinæ advocare viderentur, sed ex ipsa Christiana religione sententias et præcipua quoque argumenta haurirent, quasi humana ratio indagandæ et demonstrandæ veritati impar non sufficeret. Ægidio contra proprium hoc et peculiare est, quod, salva Christiana fide, solis tamen rationis viribus uti ausus, nullum argumentum e Sacris Codicibus hauserit, nec ullum inter Christianos scriptores, nisi Dionysium Areopagitem, in hoc tractatu nominaverit. Quod certe non in majus augendum est, ita

(1) Si aliqui saltem hic nominandi sunt, jam a nono sæculo nominentur :

Hincmarus, Remensis Archiepiscopus (De potestate regia et pontificia admonitio, ad Carolomanum regem);

Hugo, monachus Floriacensis (De regia potestate et de sacerdotali dignitate tractatus);

Petrus Lombardus (Quatuor libri sententiarum : liber 2, distinctio 44, articulus 3, de obedientia);

Beatus Bernardus (Sparsa aliquot *in Epistolis* ad Conradum regem, et in libris de *Consideratione*);

Johannes Salisberiensis (Policraticus, seu de nugis curialium et de vestigiis philosophorum);

Guilelmus Peraldus (De eruditione principum liber);

Vincentius Bellovacensis (Speculum doctrinale; — De filiorum regalium institutione);

Beatus Thomas (Aristotelicæ politicæ expositio; — Summa theologiæ; — De regimine principum libri).

ut Ægidium jam Cartesianum sapere dicamus; sed nihilominus est in illius ætatis Episcopo notandum, quod aliquam rerum humanarum scientiam sola ratione constituere susceperit.

Duo sunt tamen, quos duces sequitur, et a quibus separari nequeat : unus, quem nusquam nominat, Beatus Thomas, cujus plerasque de moribus et de familia sententias tuitus est; alter, quem magistrum aperte profitetur, Aristoteles scilicet, quem admirandum approbandumque ab Aquinate exceperat, et cujus dogmata in omnium fere capitulorum principio profert, argumentisque confirmanda suscipit, ex ipso plerumque ductis. Non minus igitur Aristotelis quam Thomæ fautor, ab utroque ex æquo pendet, sed integra judicii libertate; et, quanquam raro, aliquando tamen, et in maximis, ab utroque diversus.

Ad ipsum evolvendum opus nunc tandem progrediamur.

« *Qui in se et in suis posterioribus filiis*, ut ait « Ægidius in procemio, *suum principatum continuari* « *desiderat, summo opere studere debet ut sit suum re-* « *gimen naturale. Nunquam autem naturalis quis* « *rector efficitur, si passione aut voluntate cupiat prin-* « *cipari; sed si, custos justi existens, absque ratione ex* « *lege nihil statuat imperandum.* »

Hæc est causa, cur « *ex requisitione honesta et* « *laudabili regii juvenis, et suffragante bono gentis,* « *quod est divinius et communius quam bonum aliquod*

« *particulare, hoc opus, auxiliante Altissimo, delectabi-*
« *liter aggressus est.* »

Hic quoque est hujus libri finis : non enim de omni genere reipublicæ compositus est, nec de quacunque civitate quidquid disceptandum sit disceptare, Aristotelis exemplo, sibi proponit; ad regis informationem totus accommodatus est, nec Gallici proprie regis (ut ex alumni respectu forsan aliquis præjudicabit), sed omnium potius principum, ut in titulo profert inscriptum. Veræ scilicet omnium regum utilitati consulere sibi proponit Ægidius, et eam nusquam, nisi in optimo subditorum regimine, positam esse contendit. Optimum ergo regem, non solertissimum (ut duobus post sæculis Machiavel) informare suscipit. Ad eumdem ideo finem intendit, ad quem serius (ut notissimos nominem) (1), Bossuetius, Feneloque intenderunt; quem quoque sibi jam constituerant beatus Thomas, et priores *mediæ ætatis* scriptores.

Optimus rex ergo informetur. Sed ad ejus institutionem quanam via pervenietur?

Inde prima quæstio apud Ægidium, ut apud Aristotelem, de procedendi ratione et via oritur; et eodem quo *Philosophus* modo difficultatem solvit Ægidius.

Si *Philosopho* creditur (2), suum est cuique doc-

(1) Bossuet, *Politique tirée de l'Écriture sainte.* — Fénelon, *Direction pour la conscience d'un roi.*

(2) Ethica, lib. I, cap. 3; lib. II, cap. 2.

trinæ inveniendi et demonstrandi genus, nec eadem omnium *certitudo*. Mathematicis quidem et metaphysicis clara quædam sunt principia, intellectu ipso comprobata, e quibus, certa ratiocinandi arte, firma et recta argumenta deducuntur, quibus scientia constat. Sed moralibus doctrinis (quibus profecto ars politica adnumeranda est), quæ de hominum actibus sunt, non eadem procedendi ratio, quum ita varia et diversa sint hominum acta, ut in singulis semper sint aliquot adjuncta, quæ a philosopho aut a legumlatore provideri non potuerint, et de quibus judicia a definitis regulis deduci nequeant. In iis igitur, non per syllogismos procedendum est, sed per ἐπαγωγὰς potius, id est per exempla, et ex ipsis moribus aut factis colligenda quæ pro regulis habenda sunt (1).

Hæc cuncta approbat Ægidius. Haud igitur per subtiles mathematicorum rationes, ut ait, sed *grosso quodam modo, typo et figuraliter procedet;* non solum quod in tali re non demonstratione, at simplici persuasione, utendum sit, sed etiam quod exempla et cætera argumenta e factis ducta, insita quadam vi animos legentium commoveant, et ad agendum impellant (qui quidem moralium operum finis est); et quod non ad principem tantum hæc præcepta componenda sint, sed ad populum quoque, qui ad obedientiam non minus informandus est quam prin-

(1) Rhetorica, lib. I, cap. 2.

ceps ad dominatum, et cujus intellectui istius generis argumenta melius quam subtiliores rationes accommodata sunt. Quæ omnia senserat Aristoteles.

Hæc tantum Ægidius de ratione demonstrandi. Aliqua nos adjiciamus, ut absoluta sit τῆς μεθόδου illius adumbratio.

Sæpius in demonstratione earum rerum insudat, quæ per se certissima sunt.

Quæstiones omnes in quæstiunculas ad infinitum dividit.

Ea denique distinguit, quæ verbo tantum, sed non re, differunt.

In his vitiis Beati Thomæ discipulum facile deprehendas, quamvis distributione quæstionum in articulos, objectiones et responsa, Aquinatis more, non utatur.

De divisione operis.

Ad divisionem operis in partes dehinc proceditur (1) :

Dividitur autem in tres libros : « quorum in primo « ostendetur quomodo majestas regia, et per consequens quomodo quilibet homo se ipsum regere « debeat ;

(1) Ægidius, lib. I, cap. 2.

« In secundo vero manifestabitur quomodo debeat
« suam familiam gubernare;

« In tertio autem declarabitur quomodo præesse
« debeat civitati et regno.

« Est ergo hic ordo rationalis et naturalis. Ratio-
« nalis quidem, quoniam ea quæ sunt ad alterum
« sumunt originem ex his quæ sunt ad nos ipsos....
« qui ergo industrius esse vult ut alios regat, debet
« industrius esse ut seipsum gubernet....

« Est autem hic ordo naturalis : natura enim sem-
« per ex imperfecto ad perfectum procedit, ut prius
« est quis imperfectus et puer, quam perfectus et vir.

« Quum ergo non requiratur tanta industria ad
« regendum se ipsum quanta requiritur in guberna-
« tione familiæ, nec requiratur tanta prudentia in
« regimine familiæ quanta in gubernatione civitatis
« et regni, ordine naturali decet regiam majestatem
« *primo* scire se ipsam regere; *secundo,* scire suam fa-
« miliam gubernare; *tertio,* scire regere regnum et
« civitatem. »

Primus autem liber, in quo agitur de regimine sui, in quatuor partes ipse dividetur. Primum enim dijudicandum est ad quem finem rex tendere debeat, et dehinc quibus viis ad hunc pervenire possit.

In prima parte igitur hujus libri ostendetur quem finem sibi debeat proponere;

In secunda, quas virtutes habere;

In tertia, quas *passiones* sequi;

In quarta, quos mores imitari.

Non improbanda quidem est illa divisio, ad imitationem Aristotelis instituta, qui hominem ipse quoque, priusquam civem, informat; sed multiplex nimis et redundans est, quum, oratione de virtutibus habita, omnia supervacua sint, quæ de moribus et passionibus dici possunt; quod certe sensit *philosophus*, qui de solis virtutibus in politicæ scientiæ procemiis disseruit, ita ut jam non a Politica, sed e Rhetorica, has duas partes Ægidius haurire debuerit.

LIBER PRIMUS.

DE REGIMINE SUI.

PRIMA PARS : **De fine principis.**

Omnium hominum finis, ut dixit *philosophus,* felicitas est, quæ in agendo constat. Regis igitur finem inquirere est quærere quamnam felicitatem sibi proponere debeat. Tria autem sunt felicitatis genera, ut tria genera vitæ, *voluptuosa* scilicet, *politica*, et *contemplativa :* voluptatibus enim, mutuis inter se officiis, aut contemplationi vacent homines oportet. Ergo inter hæc tria felicitas regi eligenda est.

Felicitatem e voluptate natam respuit Aristoteles, ut bestia, non homine dignam. *Politicam* et *Contemplativam* tantum felicitatem admisit, utramque e bene agendo, seu ex virtute, natam, hanc tamen illi præferens, quia in mero intellectu est, in optima scilicet illa

animæ parte, quæ nobis tanquam aliquid divinum inest.

Omnia hæc approbat Ægidius, quæ approbaverat ipse Thomas; sed, exemplo quoque Aquinatis, in duobus Aristotelem erravisse putat, quum in sola scientia *contemplativam* felicitatem posuerit, et homines ad alterutram felicitatem suis propriis viribus, sine gratia et auxilio Dei, pervenire posse crediderit. Non sola enim scientia, sed prece quoque et *divinorum cultu, contemplativa* vita constituitur; et in neutra bene vivi potest, nisi gratia Dei auxilietur.

Ne igitur soli philosopho, ut in Aristotele, *contemplativa* vita reservetur, nec ad cives magistratusque sola *politica* vita attineat. Contemplationi autem vacet ipse rex, *speculativam* felicitatem, tanquam præcipuum suum finem, sibi proponens; et, ad Deum versus, penes quem solum est jus imperandi, et cujus nihil aliud ipse quam minister est, eum precetur et imploret, ut in *politica* vita bene se habeat.

Quomodo autem in ea vita bene se habebit?

Si, posthabitis voluptatibus et corporis commodis, *politicam* felicitatem sibi ponet in quibus decet.

In quibus igitur eam ponere decebit (1)?

Non in divitiis, quia non per se bonæ sunt, sed corporis bona respiciunt, quæ bonis animæ sunt inferiora.

(1) Hæc omnia in Beato Thoma inveniuntur, Summa theologiæ, 1ª 2æ, quæst. 1ª et 2ª.

Non in honoribus, quoniam ab aliis hominibus pendent, quum vera felicitas sibi ipsa sufficere, et penes nos tota esse debeat.

Non in gloria, quia non propter se optanda est, sed propter virtutem, cujus præmium esse videtur, ita ut virtus sit laude potior.

Non in ipsa potentia, quia per fas et nefas violentia acquiritur, et nihil inde stabile nec honestum.

In amore Dei, quo nihil melius est, suam felicitatem ponet princeps; obedientia autem probatur amor; felicem ergo se credet rex, si jussa Dei exsequetur, id est, si populis imperitet, ut Deus iis imperari jubet. « *Maxime autem Deus requirit a principibus* « *ut per prudentiam et legem populum sibi commissum* « *juste et sancte regant.* » Ex amore divino igitur, in prudenti et justo suorum regimine felicitatem suam ponet; et inde in *politica* vita bene se habebit.

Ergo non sui causa rex in potestate constituitur : princeps est ad id solum ut, Dei reverentia, communi bono consulat. Si propriæ suæ utilitati consuleret, Deo inobsequens, et principatu indignus, jam non rex sed tyrannus fieret, et, ultioni divinæ post mortem obnoxius, tota felicitatis via jam in hac vita aberraret.

Iis tamen voluptatibus et commodis, in quibus suam felicitatem ponere non debet, non omnino illi interdicitur, quum sine iis, ut sensit Aristoteles, vita perfecte beata esse non possit; sed eis tantum ut

adjumentis vitæ, utetur, nunquam oblitus se non suæ, sed aliorum utilitati, in principatu esse constitutum.

Hæc omnia si rex observaverit, maxima præmia lucrabitur: sui enim experientia, et meritorum suorum conscientia, jam in hac vita, lætus, æternam quoque felicitatem post mortem consequetur a Deo, qui tanto plus eum remunerabitur, quanto difficiliora adimpleverit.

In his omnibus consentiunt Aquinas et Ægidius, ex Aristotele plurima deducentes, nisi quæ de felicitate æterna dixere; multos ne autem fructus e philosopho perceperint, in dubio poni potest. Omnia enim quæ de regio fine uterque protulere, jam hæc eadem priores de Politica scriptores e Sacris Codicibus Sanctorumque Patrum libris protulerant, nec quidquam melius in utroque de hac quæstione, quam in Johanne Salisberiensi, in Hugone Floriacensi, aut in Vincentio Bellovacensi reperias, in quibus certe nulla Politicæ Aristotelicæ vestigia.

SECUNDA PARS : **De virtutibus principis.**

Posito fine regis, de viis nunc disseramus quibus eum attingere possit, et primum de virtutibus.

Ex Aristotelis sententia, virtus est in perfecto habitu animæ, recta ratione ductæ. Cognoscendæ sunt igitur animæ facultates, priusquam de virtutibus loquamur.

Quatuor autem sunt genera facultatum : Facultates *naturales,* quæ nobis cum plantis sunt communes ;

Sensitivæ, quibus res externas percipimus ;

Appetitivæ, quibus res appetimus aut aversamur ;

Intellectivæ, nomine suo satis perspicuæ.

Virtus autem nec in *naturalibus*, nec in *sensitivis* esse potest, ob quas nec vituperamur, nec laudamur, quum rationi obedire nequeant.

In *appetitivis* ergo et in *intellectivis* facultatibus omnes virtutes continentur.

Unde secundum Philosophum duo genera virtutum :

Virtutes *intellectuales*, in intellectu positæ, quarum prudentia et sapientia, etc.

Virtutes *morales* in appetitu, quarum temperantia, liberalitas, etc.

Intellectuales ipsæ in *speculativas* et *practicas* dividuntur, prout intellectus contemplationi aut operibus vacat.

Inter *morales* autem nulla rursus divisio.

Sed non sufficit hæc Ægidio facultatum et virtutum distributio.

Duplex enim, si illi creditur, est ipse appetitus, *sensitivus* scilicet et *intellectivus*, prout ad res fertur ex sensu aut intellectu cognitas.

Sensitivus rursus in *concupiscibilem* et *irascibilem* distinguitur (1):

Concupiscibilis enim res appetit aut aversatur, prout bonæ aut malæ sunt, jucundæ aut injucundæ; *irascibilis* autem, prout acquisitu aut repulsu difficiles sunt.

Unde tot genera virtutum.

Virtutes *speculativæ*, seu in intellectu *speculativo*, quarum Philosophia naturalis, Geometria, Metaphysica, de quibus non agetur in hoc opere, non ut sciamus, sed ut boni fiamus, suscepto;

Virtutes *morales*, seu in intellectu *practico* et in appetitu; quæ ipsæ, in Cardinales et in Annexas

(1) Hæc divisio jam in Beato Thoma invenitur. (1ª 1æ, q 81, art. 2.)

distinctæ, prout majores minoresve videntur, diversis facultatibus sic attribuuntur :

Intellectui *practico* Prudentia ;

Appetitui *intellectivo* Justitia ;

Irascibili, Fortitudo, Mansuetudo, Magnificentia, Magnanimitas ;

Concupiscibili, Temperantia, Liberalitas, honoris Amativa, Veritas, Amabilitas, et Eutrapelia.

Harum virtutum quatuor *Cardinales* sunt : Prudentia scilicet, Justitia, Fortitudo et Temperantia, generaliter accepta. Cæteræ octo dicuntur *Annexæ.*

Hæ duodecim virtutes in Aristotele tractantur, sed non ita subtiliter digestæ et distributæ. *Cardinalium* autem et *Annexarum* distinctio non ex ipso Ægidio, nec ex ipso Aquinate oritur, sed e veteri Christianorum scriptorum more.

Iis adjunge quas Ægidius *bonas animæ dispositiones* appellat, quarum aliæ *supra virtutem* sunt, aliæ *virtutum ancillæ,* aliæ *preparationes ad virtutem.*

De illis igitur virtutibus ex Aristotele disserit Ægidius, raro a philosopho diversus, at contra omnibus viribus enitens, ut, Aquinatis exemplo, omnes Christianorum virtutes ad descriptas a magistro redigat.

Quas inter, ut perspecta sit scriptoris ratio, quinque præcipuas eligemus, Prudentiam scilicet, Justitiam, Magnificentiam, Magnanimitatem et Mansuetudinem.

Si magistro et discipulo credas,

Virtus est medium vitiorum et utrinque reductum.

De quaque virtute igitur demonstrandum est qualis sit et inter quæ vitia consistat.

In Aristotele tamen de solis in appetitu virtutibus hoc dictum est. Necesse enim est, ut in quaque occasione aliqua sit virtus quæ inter extrema medium dijudicet, et hæc virtus est Prudentia. Prudentia igitur (φρόνησις) perfecta ratio est, rectæ voluntati conjuncta, in quaque agendi occasione dijudicans quid sit bonum et utile.

A Scientia distinguitur quod de *singulis* et *contingentibus* sit, non autem de *universalibus et necessariis;* ab Arte rursus et Solertia, quod rectæ voluntati conjungi debeat, a qua illæ separari possunt.

Non alia quidem in Aquinate et in Ægidio est Prudentiæ definitio; sed hanc quoque virtutem in quodam medio consistere putant.

« Virtutes sunt medietates quædam, et non habent « fieri, nisi circa eas quæ sunt in potestate nostra, in « quibus decet nos ponere medietatem vel æqualita- « tem, sive rectitudinem; hujus autem modi tria « sunt, scilicet rationes, passiones, et operationes « exteriores. Per virtutes enim debemus habere ra- « tiones rectas, passiones moderatas, et operationes « exteriores æquatas et mensuratas. Secundum ergo

« quod habemus rationes rectas habet esse Pruden-
« tia (1).

« Bonum virtutis intellectualis consistit in quodam
« medio..... Secundum dicit esse quod est, vel non
« esse quod non est, in quo ratio veri consistit.
« *Excessus* autem est secundum affirmationem
« falsam, per quam dicitur esse quod non est;
« *defectus* autem accipitur secundum negationem
« falsam, per quam dicitur non esse quod est (2). »

Subtilia illa certe, et e nimio unius tenoris studio orta.

Sed ista relinquamus.

Cuique privato utilis, quum nulla alia virtus sine ea existere possit, regi multo magis necessaria erit Prudentia, si jure et natura ille regere volet. Nullus enim e natura regit et dominatur, nisi qui, Prudentia et intellectu pollens, alios sicut se ipsum ad *debitum* finem dirigere potest; absente autem Prudentia, nec *debitum* finem, nec rectas ad illum vias dijudicare cuiquam dabitur.

Prudens igitur sit princeps. Ad Prudentiam autem se informabit, si priorum regum exempla suæ memoriæ sæpius revocabit, ut optimos in regnando imitetur; si quæ suo populo futura sint utilia diligenter inquiret; si bonas consuetudines et leges regni religiose observabit; si propriam suæ gentis

(1) Ægidius, lib. I, pars 2, cap. 3.

(2) Sanctus Thomas (1ª 2æ, quæst. 64, art. 3).

indolem attente perspiciet, quo certius possit eam in *debitum* finem dirigere. Sed hæc omnia in tertio libro magis explicita reperiemus.

Prima in appetitu virtus est Justitia (δικαιοσύνη), quæ duobus modis intelligi potest:

Secundum legem;

Aut secundum æquitatem.

Si secundum legem intelligas, Justitia omnia exsequitur quæ legibus præcipiuntur;

Si secundum æquitatem, Justitia cuique reddit, quod ei ex æquitate tribuendum est.

Prior quidem quasi cæterarum virtutum vices adimplet, quum legibus præcipi debeant omnia quæ virtutibus præcipiuntur; ita ut legum reverentia exsequi possimus omnia quæ singularum virtutum studio exsequimur.

Altera, quæ proprie Justitia est, æqua est partitio bonorum illorum exteriorum, quæ in eadem civitate communia sunt. Læditur ea, si quis plus aut minus habet quam decet. In quodam medio igitur inter plus aut minus quam decet constat, in quo medio æquitas est.

Sed ea rursus duobus modis est intelligenda.

Justitia enim et in commutatione earum rerum est, quæ emuntur aut venduntur, aut in bonorum malorumve exteriorum distributione.

In commutatione autem rerum æquitas est vere æqualitas, ita ut res inter se accurate compensentur; sed in distributione bonorum malorumve ad dignitatem et ad merita cujusque respici debet, ita ut non æqualia omnibus, sed melioribus meliora, pejoribus pejora reddantur.

Absque Justitia, nulla civitas consistere potest. Hanc igitur observet rex, cui commissa civitatis salus. « *Reges, qui injusti sunt, non digni sunt qui sint reges.* »

Nulla de iis omnibus inter Aristotelem et Ægidium discrepantia; sed, ut plene intelligatur quæ sit apud illos *distributiva* Justitia, homines, ut utrique videtur, nasci inæquales notandum est, ita ut, non pro meritis cujusque, sed pro inæqualitate naturali, bona exteriora inter eos distribui debeant; quod uberius mox disseretur.

Magnificentia (μεγαλοπρέπεια) in magnis sumptibus apparet; magna et pulchra facit, non in quibuscunque operibus (stultum enim foret), sed in quibus decet, quum id decere ratio recta judicat. Medius est magnificus vir inter eum qui minora facit quam decet, quum magna possit, et eum qui fortunas suas vanis et ridiculis expensis consumit.

Regi præ divitiis Magnificentia plus quam subditorum cuivis convenit. Magnificum autem maxime esse decet in iis quæ ad divinum cultum aut ad communem utilitatem spectant, aut etiam ad singulos, si quis multo honore dignus est; vel ad se ipsum, si

qua diu durare debent, ut ædificia, aut raro occurrunt, ut nuptiæ.

Communia hæc Ægidio et Aquinati cum Aritotele.

Magnificentiæ propior est æmula et soror Magnanimitas (μεγαλοψυχία). Magnanimus ille est, si Philosopho creditur, qui, ut magnos honores mereatur, magna suscipere audet, nec peragendis est impar. Vanus est qui suscipit impar; timidus, qui par non suscipit; et inter utrumque medias partes tenet magnanimus. In nullo igitur, nisi magnis facultatibus instructo, Magnanimitas existere potest, quum magna magnanimo sint aggredienda. Sed, optimus sui judex, nihil supra vires suas ille suscipiet; et, rerum idem sanus æstimator, istos, quos magna faciendo meretur, et quos sibi debitos putat, honores pro parvo habebit, virtutis potius quam laudis amans. Inde, contemptis honoribus, jamprimum omnia ista contemnet, quæ honorum causa plerumque concupiscuntur, potentiam scilicet et fortunas, mox homines ipsos, quibus superiorem se novit, et a quibus nulla, nisi contemnenda ista præmia, exspectare potest.

In his omnibus Aristoteli consentit Ægidius; et Magnanimitatem principi plus etiam quam privato commendat, quum ad majora sit in principatu constitutus. Sed huic Magnanimitati, se magnis honoribus dignam existimanti, aliosque homines contemnenti, contraria esse videtur ea demissi animi

virtus, quæ in Christiana religione Humilitas appellatur. Hanc tamen illi conciliare tentat Ægidius, sancti Thomæ vestigiis insistens; nec indignum relatu est ad quamnam Humilitatis imaginem uterque pervenerit : Scilicet, quum ad res magnas, simul et difficiles, tendat Magnanimitas, eam Magnanimitatis partem esse Humilitatem, quæ, sana suarum virium conscientia, non sinat nos difficiliora aggredi; ita ut qui vere magnanimus sit idem sit humilis, et, Magnanimitatem describendo, Humilitatem quoque descripserit Aristoteles.

Hanc Humilitatis imaginem, e Summa sancti Thomæ expressam (1), si ad *Imitationem Christi* comparabis, notandam valde discrepantiam animadvertes. Quæ non minor erit, si eamdem imaginem cum *Summa* Guilelmi Peraldi conferes (2).

De Mansuetudine (πρᾳότης) pauca dicamus.

Ea, si Aristoteli creditur, non remissio est injuriarum, ut e nomine existimari posset; sed media est quædam ira inter nimiam vindictæ cupiditatem et mollitiem animi, mala nobis illata condonantis.

(1) Sanctus Thomas, 2ª 2æ, quæst. 161.

(2) « Subdere se alicui secundum reputationem Humilitatis est. Hoc enim « proprium *Electorum* esse solet, ut de se sentiant infra quam sint : juxta « verbum Gregorii.... Item quum Superbia sit appetitus propriæ excellentiæ, « Humilitas est contemptus propriæ excellentiæ : juxta Bernardum in Epis- « tolis. Ad Humilitatem pertinet etiam amor inferioritatis vel vilitatis, secun- « dum illud Bernardi super canticum, « *verus, inquit, humilis vult vilis* « *reputari.* » (Guilelmus Peraldus, Summa virtutum, de obedientia, tractatus quintus, pars 10ª, cap. 1.)

Æque prohibet ne nimium ulciscamur, et ne omnino non ulciscamur. A recta enim ratione fere tantum distat qui nunquam irascitur quantum qui semper.

Nullus est certe qui Ægidium ab hac sententia, Christi exemplis non satis consentanea, recessurum non speret; sed ei plene assentitur noster, Sacrorum Codicum, Aristotelis studio, immemor, et ipsos inter Gentiles, Stoïcis inferior, Aquinatis autem in hoc quoque auctoritate fultus (1). Mansuetudo enim apud Aquinatem nihil aliud est nisi judicium, sine ira quidem, et tranquillo animo, illatum, at mala malis æque et stricte compensans, nec parcendi causas quærens.

Quanto melior doctrina Senecæ, et quanto potiores Guilelmi Peraldi, e Seneca ductæ, mites sententiæ (2)!

In reliquis virtutibus nihil a Philosopho dissentit Ægidius, nec quidquam in his notandum est. Eas ergo enumeravisse nobis sufficiat.

Eæ sunt virtutes quas princeps habeat oportet, si dignus qui imperitet esse vult; nec aliquas tantum habeat, sed omnes. Ita enim, sicut Aristoteli et sancto Thomæ placuit, omnes sunt inter se connexæ, ut disjungi nequeant, et cui vel una deficit, cunctæ simul deficiant. Quod mirum certe multis

(1) Sanctus Thomas, 2a 2æ, quæstiones 157 et seq.

(2) Guilelmus Peraldus, Summa virtutum, tractatus 3, cap. 6, partis tertiæ; tractatus 5, pars 2, cap. 5; tractatus 6, pars 9.

videri potest, quum iracundos eosdem et liberales, aut intemperantes eosdem et mansuetos sæpius videamus; sed de perfectis tantum virtutibus hoc intelligendum est; perfectas autem virtutes rex habeat necesse est. Quum autem vitia se invicem attrahant, si quod vitium alicui inest, nulla est in animo virtus, cui tam ferme adhæreat, ut nunquam ex ea in culpam delabi possit.

Inter virtutum gradus igitur, ad altissimum rex perveniat oportet; ad eum scilicet quem heroicum Aristoteles nominat, et qui in Religione Christiana *Sanctis* quasi proprius est et peculiaris. Item, inter quatuor genera honestorum virorum, optimis, et prope divinis, adnumeretur; optimus enim sit inter optimos necesse est, ut jure et natura homines regat.

Nec obliviscendum est eum ad hoc pervenire non posse, nisi adjuvante Dei gratia, quæ assiduis precibus est imploranda.

TERTIA PARS : **De passionibus principis.**

De *Passionibus,* seu de motibus animi, nunc est dicendum.

Cognitis enim virtutibus quæ regem decent, quos animi motus in se admittere debeat inquirendum est.

Ut duodecim sunt virtutes, ita duodecim sunt *passiones*, non quod unicuique virtuti sua passio attribuatur, quum omnes *passiones* ex appetitu *sensitivo* oriantur, sed quod ita natura est, aut potius quod ita Ægidio visum. Eæ sunt amor, odium, cupiditas, aversio, gaudium aut delectatio, tristitia, spes, desperatio, metus, audacia, ira, mansuetudo (ejusdem nominis quam una virtutum, sed verborum modo defectu). Earum sex primæ in appetitu *concupiscibili* sunt; cæteræ in *irascibili*.

Ab amore et odio omnes deducuntur. Cognitis ergo quæ regem amare aut odisse deceat, facile dijudicabitur quarum rerum gratia aliquem animi motum in se admittere debeat.

E *fine* autem regi proposito, in quantum homo est, et e virtutibus regiis, colligitur, quæ amore aut odio principis digna sint. Quum ad æternam felicitatem homo natus sit, et publici commodi causa rex in principatu sit constitutus, Deum præsertim et publicam utilitatem amabit, et inde omnia oderit, quæ pietati erga Deum aut publicis commodis contraria sunt. Nulla ergo aversabitur, sperabit, aut metuet; nullis in tristitiam aut gaudium se induci sinet, nisi ad Dei cultum aut ad publicam utilitatem intererit; et eatenus tantum iis movebitur, qua prædictis virtutibus conveniet.

Nulla igitur nova de principum officiis præcepta ex hac inquisitione *passionum* sunt ducta; nec eas inquirere operæ pretium erat; ut bene sensit Aristo-

teles, qui nihil de iis in Ethica Politicave disseruit, cujusque e sola Rhetorica hæc omnia duxit Ægidius, ut jam diximus, additis *passionum* inter *concupiscibilem* et *irascibilem* appetitum distributione, earumque ex amore et odio generatione, ad imitationem Aquinatis, qui tamen decem *passiones* solum nominaverat, nulla aversionis et mansuetudinis mentione in hoc loco facta (1).

QUARTA PARS : **De moribus principis.**

Idem fere de longa morum inquisitione, in quarta primi hujus libri parte, dicendum est. Mores enim diversorum hominum, pro cujusque ætate, fortunis aut ordine, e secundo Rhetoricæ libro recognovit noster, regem ad optimos impellens, a pravis contra avertens; nec ulla cum Aristotele discrepantia, nisi quod satis male habitos a magistro *nobiles* multo indulgentius tractavit; quos enim ambitiosos et superbos, et patrum sæpius degeneres appellaverat Aristoteles, magnanimos ille et magnificos, avorum

(1) Summa Theologiæ, 1a 2æ, ex quæst. 22 ad quest. 48.

æmulatione, quum semper se patribus existere nobiliores velint, esse contendit; doctrinæque aptiores eosdem, et magis industriosos, tum *mollitie carnis* et *complexionis bonitate,* tum quia, oculis omnium in se conversis, ad meliora incitari debeant. Nihil tamen inter hæc require, quod ad illa tempora et proprios nobilium illius ætatis mores pertineat; nihil tale apud nostrum, res universe semper considerantem, et in singulis morari quasi dedignantem.

Hic absolutus est primus hujus voluminis liber; et absoluta præcepta omnia, quibus, jam non familiam et regnum, sed se ipsum rex gubernare debeat. In qua parte operis quasi cæterarum est præparatio, quum ad nullum nisi ad eumdem ac suum finem familiam et subditos, pro conditione cujusque, dirigendos rex suscipiat.

Quid autem est de ista morum disciplina censendum?

Paucis exceptis, ut satis per se apparet, tota ex Aristotele ducta est, ita ut nihil quidquam melius de virtute humana repertum credas, tredecim post Christum sæculis, quam tribus ante. Aquinatis quidem, eumdem quoque Aristotelem in Summa Theologica secuti, gravi exemplo se tueri posse videtur Ægidius; sed hoc inter utrumque interest, quod Beatus Thomas *ordini naturali,* ut ait, *ordinem supernaturalem* addiderit, et virtutibus *Politicis,* in complementum et correctionem, virtutes *Theologales* super-

imposuerit, quum contra apud Ægidium nulla *Theologalium* virtutum fiat mentio. Si tamen ipsius Aquinatis moralem doctrinam cum priorum institutis conferes, jam in eo facile agnosces legem minus severam cuique imponi, minoremque erga alios caritatem præcipi. Quum enim Aristotelis de modesto rerum usu doctrinam necessario approbandam putet, jam non rebus abstinere, aut saltem quam minime uti, præcipit Thomas, sed iis satis large uti, ne quid modo sit nimis, concedit (1). Quum rursus animi Humilitas Aristoteli incognita fuerit, jam non in Christiano sui despectu, sed in recta sui æstimatione humilitatem consistere dicit Aquinas; unde dignitatis nostræ inter homines rationem habet, et ideo, non regi tantum, sed etiam privatis, pro cujusque statu, magnificentiæ indulgere permittit, *eleemosynæque* largitiones imminuere, ut servetur personarum convenientia (2). Idem denique, quum de Clementia fere nulla dixerit Aristoteles in Ethica, Clementiam in stricta sceleris pœnæque compensatione, remoto tantum iræ impetu, sed quæsita nulla parcendi causa, constare affirmat, nec ipsam condemnat iram, dummodo modum rationalem non excedat (3).

(1) Summa Theologica, 2a 2æ, quæst. 141, art. 3. — Ægidius, lib. I, pars 1, cap. 15.

(2) Summa Theologiæ, 2a 2æ, quæst. 32, art. 6. — Ægidius, lib. I, pars 1, cap. 20 et 21.

(3) Summa Theologiæ, 2a 2æ, quæst. 157 et seq. — Ægidius, lib. I, pars 1, cap. 10 et 28.

Si hæc autem in Aquinate sunt animadvertenda, quanto magis in Ægidio animadvertas, a quo virtutes *Theologales* absunt, et in quo totum caritatis locum obtinet *Liberalitas,* sic ex Aristotele descripta, *virtus quæ est temperans avaritias et moderans prodigalitates* (1).

Quem in Aquinate et Ægidio locum obtinet Aristoteles, eumdem sæpe in præcedentibus *mediæ ætatis* scriptoribus obtinuerat Seneca, Sacrorum certe Codicum doctrina propior, ut in Guilelmi Peraldi *Summa* præcipue videre est; nec, Aristotelem potius quam Senecam sequendo, Christianos doctores, in moralibus saltem, multum profecisse puto.

(1) Ægidius, liv. 1, pars 1, cap. 18.

Confer hæc omnia, seu in Aquinate, seu in Ægidio, cum divi Bonaventuræ præceptis, ex Evangelio omnia trahentis.

De paupertate Christi, cap. 1 :

Dicendum est quod abrenunciare omnibus, tam in privato quam in communi, est Christianæ perfectionis.

.... Ad ipsam renuntiationem specialiter viam facit ipsa natura.... nam homo nudus formatus est, et, si in statu illo stetisset, nihil sibi prorsus appropriasset.

.... Caritatis venenum est spes adipiscendorum ac retinendorum temporalium ; nutrimentum ejus imminutio cupiditatis ; perfectio ejus nulla cupiditas.

LIBER SECUNDUS.

DE REGIMINE FAMILIÆ.

In secundo libro de regimine familiæ disseritur: Prima hominum inter se societas est familia, ad quotidianos usus reperta; e familiarum consociatione vicus oritur, ad supplementum rerum quibus vita indiget; et e consociatione vicorum civitas, ad mutuam contra hostes propugnationem.

E familia igitur omnis inter homines communitas orta est; et ab ea de societatum regimine præcepta incipienda sunt.

Ad societatem familiæ hominem natum esse demonstratur, non solum connubii et generationis amore, sed etiam victu et vestitu, quibus, solus inter animantes, præparatis indiget, sermonisque et disciplinæ usu.

Initium autem familiæ *associatio* est viri et feminæ, quam sequuntur liberi, et cui adjungantur

necesse est, ut perfecta sit domus, diversa instrumenta laboris, seu animata, seu inanimata.

Tria igitur in regimine familiæ sunt consideranda, quomodo femina, quomodo liberis, quomodo vitæ instrumentis utendum sit.

Inde tres in hoc secundo libro partes. Nec pauciora in eo quam in præcedenti ex Aristotele ducta.

PRIMA PARS : **De regimine uxoris.**

Quæ de feminis sensit *Philosophus*, et de earum partibus in familia, eadem sensit noster, paucis adjunctis quæ e Christiana religione hausit, quo melior certiorque esset earum in domo conditio, sed non quo major dignitas et auctoritas.

Quæ in melius ita e Christiana religione hausit, fere ad unum redigi possunt, scilicet quod conjugia nunquam dissolvenda statuit, quum in detrimentum puerorum semper vertat parentum dissociatio, quumque perfecta inter utrumque amicitia coalescere nequeat, nisi in perpetuum mansura sit fides. Hinc conjugiis stabilitas, uxoribusque securitas, tum veterum moribus aliena, tum Christianæ disciplinæ congrua, ut in *Summa Theologica* demonstratur. Sed hoc valde animadver-

tendum, quod in hac ipsa re a magistro discrepare videri noluerit Ægidius, et eam sententiam ab Aristotele approbatam contenderit, quanquam nihil tale apud Philosophum reperiatur.

In Cæteris totus ab Aristotele est.

Sive ad mentem, sive ad complexionem corporis spectas (quæ ita connexæ sunt, ut corporis defectum defectus animæ semper sequatur), femina imperfectus homo est (1); tanto homine inferior quanto viro puer; fere tota in appetitu; rationis et prudentiæ magna ex parte egens; et, quum melioris ubique sit regimen, ab homine ideo regenda, non δεσποτικῶς quidem, nec servorum puerorumve instar, quum certæ semper ante matrimonium pactæ sint inter utrumque conditiones, sed plene tamen, et ut inferior a superiore.

A nemine certe pejus quam ab Ægidio audiverunt unquam feminæ, quas intemperantes, garrulas, mobiles, ventosas, superbas, invalidi consilii, in omnibus inde, vel in virtutibus, nimias appellat, nullius denique e natura laudis, nisi quod piæ sunt, et timiditate aut mollitie cordis verecundæ et misericordes.

Ratione ergo connubii habita, ad id tantum

(1) « Femina mala herba est, quæ cito crescit. Corpus muliebre, eo quod « sit vilius, et natura minus de eo curet, citius venit ad suum complementum « quam virile. » (Ægidius, lib. II, cap. 23.)

aptæ sunt ut liberos procreent, et interioris domus curam suscipiant, quum in exterioribus homo plerumque detineatur. Nec alius est conjugii finis.

In uxore ducenda igitur, vir ad ea intendere debet quæ ad usum vitæ prosunt, nobilitatem scilicet, amicos et divitias, quanquam, si sit privatus, multo nobiliori aut ditiori abstinere debeat; pulchritudinem deinde et proceritatem corporis, amoris et progeniei causa; temperantiam denique, et quamdam non servilem φιλεργίαν, in adjumentum temperantiæ; sed nihil aliud optabit, nec aliis femina eget ad partes suas in familia implendas.

Talem benigne et amice vir tractabit, sed in tutela semper habebit, quasi rector aut magister; et, malæ indoli diffisus, nunquam ad sua consilia et ad secreta admittet, nisi quum tacitam et prudentem, quod perrarum est, diu multumque exploraverit.

Mediocris inde feminæ in domo dignitas, nec in majore apud Ægidium quam apud Aristotelem honore uxor habita; quasi ad feminarum dignitatem nihil contulisset Christiana religio, nec falsam hanc inæqualitatem rescidisset inter viros et illas, si non ad eadem officia genitas, at saltem non pejores natura, nec minoris apud Deum pretii (1).

Non unum tamen, nec ex uno Aristotele talia nostrum sensisse existimandum est; eadem est

(1) Confer cum tractatu Fenelonis de virginum institutione. — Quanto potior Fenelonis sententia! Confer etiam cum Xenophonte in *Æconomicis*. Quanto melius a Socrate quam ab Aristotele et Ægidio habitæ feminæ!

fere omnium illius ætatis scriptorum de mulieribus sententia, quam non apud theologos tantum aut philosophos, sed etiam apud poetas reperias (1).

SECUNDA PARS : **De regimine liberorum.**

Secunda pars hujus libri est de regimine filiorum; et in ea quoque pleraque ex Aristotele ducta.

Non idem est natos quam uxorem regendi modus, quum inter virum et uxorem aliquæ sint ante matrimonium pactæ conditiones, quas vir observare debeat, nulla autem sit istius modi inter patrem et filium pacta lex. Filium ex arbitrio suo regit pater, utpote qui genuerit. Cavit quidem natura, injecto in patrum animos filiorum amore, ut, non in suam ipsorum, sed in natorum utilitatem, illo jure uterentur; nihilominus totus e patris voluntate pendet filius, nec ulla re, contra patris injuriam, nisi paterno ipso amore defenditur. Aliquid enim patris est, ut dixit Aquinas, et quasi illius pars; nec quid-

(1) Cum Ægidio consentit Vincentius Bellovacensis (Speculum doctrinale, liber V).

quam juris nisi respectu alterius habetur; unde quod est filii id est patris (1).

Quo magis in potestate patris filius est, eo major patri filiorum cura habenda est; nulli tamen major quam regi, quum ejus filii ita sint informandi, ut prudentiæ et morum excellentia digni sint qui toti populo imperitent. Ad quæ obtinenda plura observare decebit.

Hinc sequuntur de filiorum institutione præcepta, ex Aristotele sumpta. Quæ enim de ingenuorum educatione senserat Philosophus, ea omnia ad regii pueri usum repetit Ægidius. Hinc regiæ institutionis in tria tempora partitio: ab infantia scilicet usque ad septem annos, a septem annis usque ad quatuordecim, a quatuordecim usque ad virilitatem; ita ut in prima ætate præcipua sit corporis et memoriæ cura, in secunda morum, in tertia rationis et intellectus. Hinc quoque hæc opinio, ea tantum futuro principi ediscenda esse, quæ ad regni regimen, hominum aut rerum scientia, prodesse, vel ad liberale oblectamentum converti possint. Nec quidquam in his Aristotelicæ doctrinæ adjunctum, nisi quod ad Christianam religionem spectat, ab ipsa pueritia tradendam et observandam.

Unum est quo Ægidium ab Aristotele discrepuisse existimari possit, quum una et eadem institutione

(1) Secunda secundæ, quæstio 57, art. 4.

omnes pueros informandos præceperit Philosophus, regios autem juvenes minori corporis defatigatione exerceri voluerit Ægidius, quippe quorum mentis prudentia utilior subditis sit quam corporis robur. Unde colligi potest communem omnium institutionem ei non placuisse, quamvis de hac quæstione nihil aperte dixerit. Aquinas autem in Expositione Politicæ, ut Philosophus ipse senserat.

TERTIA PARS : **De regimine instrumentorum laboris.**

Tertia pars secundi libri de vitæ instrumentis est. Ad quotidianos usus, ut diximus, certis vitæ instrumentis opus est, seu animata sint, seu inanimata. De animatis primum dicamus, id est de *servis*.

Mirum sane videri potest quod non servitium respuerit Ægidius, quum omnes homines æquales, imo fratres esse tam aperte promulgaverit Christiana religio. In hoc quoque tamen Aristotelem secutus est, viam monstrante ipso Aquinate (1).

Ex ipsa natura, si Aristoteli creditur, quidam homines sunt servi, quidam autem sunt domini. Ut natura enim corpus humanum menti subjicitur, et domestica animalia homini, sic certi sunt homines,

(1) 2a 2æ quæst., 57, art. 4.—1a 2æ quæst., 94, art. 5.

qui, corpore tantum valido, sed inepta mente, et ideo ad regimen sui inhabiles, aliorum consilio et dominatione egent; qui nati sunt igitur, ut prudentioribus servirent; et quibus ita servire expedit.

Pejoribus meliores imperare natura justum est; eodem ergo jure dominus servo imperat, quo vir uxori, et filio pater, quia natura melior et prudentior est; et eo plenius servo dominatur, quod uxoris filiorumque consilio multo inferius est servi consilium. Nil aliud sunt servi quam vitæ instrumenta, ad complementum domus pertinentia; nec iis aliter quam instrumentis utendum est. Quum igitur e pactis conditionibus uxorem vir, et filios in ipsorum utilitatem pater gubernet, servos e nulla conditione, sed ex arbitrio suo, dominus gubernabit, nec ad eorum, sed ad domus, id est, ad suam utilitatem, quum ipsius tota sit domus; quod servis tamen felix bonumque erit, quia pars domus sunt, et partibus rei bene est, quum ipsi bene est rei (1).

Talium est e naturali jure servitus aut dominatio : sed διχῶς λέγεται τὸ δουλεύειν·καὶ ὁ δοῦλος, ut dicit Aristoteles, et alterum quoque est e jure civili servitium, ἐν ᾧ τὰ κατὰ πόλεμον κρατούμενα τῶν κρατούντων εἶναί φασιν, in quo violentia et vi corporis, non prudentiæ excellentia, dominatio constituitur, et legibus confirmatur. Hoc quoque servitium certe non respuit Aristoteles, sed, nescio quo fato, Christiani nostri scriptores multo

(1) Polit., lib. I, cap. 2.

asseverantius id affirmavere. Non nullam enim de hac quæstione dubitationem in Aristotele deprehendere est : *ὅτι δὲ*, inquit, *καὶ οἱ τἀναντία φάσκοντες τρόπον τινὰ λέγουσιν ὀρθῶς οὐ χαλεπὸν εὑρεῖν*. Et quum eos tantum jure servos e violentia admiserit, qui æquo bello fuissent capti, quosdam esse superaddidit, qui nunquam jure servi dicerentur; quumque in jure naturali eadem servis quæ dominis expedire professus sit, non eadem utrisque e jure civili et e violentia utilia esse contendit : *ἀνάγκη εἶναί τινας φάναι τοὺς μὲν πανταχοῦ δούλους, τοὺς δὲ οὐδαμοῦ.... διὸ καὶ συμφέρον ἐστί τι καὶ φιλία δούλῳ καὶ δεσπότῃ πρὸς ἀλλήλους τοῖς φύσει τούτων ἠξιωμενοις, τοῖς δὲ μὴ τοῦτον τὸν τρόπον, ἀλλὰ κατὰ νόμον καὶ βιασθεῖσι, τοὐναντίον*. Minor autem apud Aquinatem aut Ægidium de hac re dubitatio : quamvis enim non e natura sit ea servitus, nihilominus tamen est approbanda, quia naturæ non contraria est, et quia, quum ad communem utilitatem intersit, ideo ratione hominum est in civitates inducta. Quod triplici via, ut ait Ægidius, demonstrari potest :

1° Quia legumlatoribus indistincta erat mentis excellentia, manifesta autem ex ipsa victoria excellentia virium, ita ut ex ea tantum certe distingui posset, quorum servitus aut dominatio esse deberet;

2° Quia servitii metu cives ad patriam fortius defendendam impelluntur;

3° Quia multi ita spe utilitatis servantur in bello, qui a victoribus occiderentur, nisi ad servitium

reservari possent. Unde servus a servato dicitur (1).

Fatendum est tamen curavisse Aquinatem ut mitius quam apud veteres servi tractarentur, et dominorum imperiis modus aliquis imponeretur.

« *Subditi*, inquit, *in iis tantummodo superioribus* « *suis obedire tenentur, in quibus ipsi superioribus suis* « *subjiciuntur* (2). »

Servus inde *tenetur suo superiori obedire* in his quæ ad domestica officia pertinent, sed non *tenetur dominis obedire de matrimonio contrahendo, de virginitate servanda, aut de aliquo alio hujusmodi.* In his omnibus sui juris est.

« *Unde, sicut servus non subditur domino quin libere* « *possit comedere et dormire, et alia hujusmodi facere, quæ* « *ad necessitatem corporis pertinent, sine quibus natura*

(1) Istis Ægidii Thomæque argutiis egregia hæc Fenelonis verba libenter opponam :

« On se croit d'une autre nature que les valets ; on suppose qu'ils sont « faits pour la commodité de leurs maîtres. Tâchez de montrer combien ces « maximes sont contraires à la modestie pour soi, et à l'humanité pour son « prochain. Faites entendre que les hommes ne sont pas faits pour être « servis ; que c'est une erreur brutale de croire qu'il y ait des hommes nés « pour flatter la paresse et l'orgueil des autres ; que le service étant établi « contre l'égalité naturelle des hommes, il faut l'adoucir autant qu'on le « peut, etc.... » (*Traité de l'éducation des filles*, ch. 12.)

Hæc eadem Thomæ argumenta refellit Bodinus in Republica (lib. I, cap. 5) :

Servitium ipse quoque admiserat Vincentius Bellovacensis, sed e peccato, non autem e natura, ortum. Natura enim omnes homines sunt æquales ; sed si quis peccat, alium inique insectando, insectatorem in servitium a victore redigi fas est.

(2) Secunda secundæ, quæst. 104, art. 5.

« *conservari non potest, ita non subditur in quantum ad* « *hoc, quod non possit libere matrimonium contrahere,* « *etiam domino nesciente aut contradicente.* » .... « *Dominus cogendus est ne servum vendat taliter quod* « *faciat opera matrimonii graviora.* »

At, si mitiorem hæc servitutem faciunt, non tollunt tamen; et de istis ab Ægidio nihil præscriptum fuisse notandum est. De distribuendis quippe inter servos officiis, quo melius ista adimpleantur, et de servorum vestitu, quo modo ad ipsorum usum et ad dignitatem domini simul referatur, disserit; sed de clementius habendis ipsius domini utilitati fidere, nec certi ne sint dominorum imperiis fines curare videtur.

In una re ab Aristotele differt, in eo scilicet, quod Philosophus populos, quos barbaros vocat, ad servitium natos contendit et in eosdem justum esse omne bellum profiteri videtur, ut in debitam servitutem a melioribus redigantur; hæc autem respuit noster, et singulos tantum homines, at non universum quemquam populum, ad servitutem natum prædicat. — Pauca tantum hæc in melius, sed aliqua tamen (1).

(1) Cum Ægidio et Aquinate consentit Ockam :

« Religio Christiana a servitute neminem liberat : ergo si Papa ante Papatum sit subjectus imperatori, remanet imperatori subjectus et servus, nisi imperator libertatem et immunitatem ei concesserit. Sed diceret aliquis quod servus, ante Papatum assumptus, in favorem Christianæ religionis liberatur a servitute, et etiam ab omni subjectione, sicut servus factus Presbyter a servitute. — Respondetur quod in favorem Ecclesiæ nihil injustum statui debet,

Hæc de servis sufficiant. De inanimatis vitæ instrumentis pauca nunc dicamus.

In primis diversa sunt vivendi genera, et diversi pecuniæ lucrandæ modi.

Quatuor vitæ genera, pascuale scilicet, piscativum, venativum et furativum, Aristotelis instar, constituit Ægidius; quorum tria tantum sunt honesta, impium autem furativum genus.

Plures hinc pecuniæ lucrandæ modi, non omnino cum quatuor illis vitæ generibus congruentes, sed quos agnovit Aristoteles, seu pecuniam de prædiorum fructibus mutuemur; seu mercaturas faciamus; seu operam nostram conducamus, ut mercenarii; seu artem aliquam pro mercede exerceamus, ut medici; seu temporum locorumve opportunitates speculati, multam pecuniam consilio et prudentia aliquando pariamus; seu denique nummos in fœnore ponamus; qui quidem modi, præter extremum, sunt liciti, sed quibus reges abstinere decet, nisi pecuniis e prædiorum fructibus aut e temporum speculatione comparatis.

quia prætextu pietatis non est facienda impietas. Quum igitur injustum sit et iniquum quod aliquis sine culpa privetur jure suo, Ecclesia non potest statuere, ut imperator vel alius privetur jure, quod habuit in Personam Papæ, antequam esset ad Papatum assumptus. Quam doctrinam Gelasius videtur sequi, affirmans quod servi dominorum suorum jura sub obtentu religionis fugere minime debent, ne per Christiani nominis institutum aut aliena jura videantur pervadi, aut publica disciplina perverti.

(Ockam, octo quæstiones.—Goldaste, t. 2, Monarchiæ, q. 3, c. 2.)

« Eadem sentit Fleury in oratione de historia Ecclesiastica, ab anno DC ad annum MC. »

Usura autem (ut nummos in fœnore positos appellare est), et per se inhonesta est, et quam severioribus pœnis reges afficere nequeant; quæ quidem condemnatio non tantum Aristoteli, sed Aquinati, et prioribus cunctis scriptoribus est congrua.

His lucrandæ pecuniæ modis, duos alios superaddit Ægidius, quos ex Aristotele ductos contendit, sed quos in Philosopho reperire non nobis datum : altero alicujus regionis nummos in aliquam aliam regionem importamus, in qua ii plus quam in sua regione valent; unde certus importanti quæstus. Altero autem nimii ponderis denarios rursus liquefacimus, ut e materiæ excessu lucrum nobis pariamus. Utrumque privatis concedit noster, sed a principibus amovet; et hoc certe notandum, quum nummos Philippus Quartus toties adulteraverit.

Sequuntur aliquot de regalium ædificiorum magnificientia, et de severa interioris domus disciplina; sed nihil in his animadvertendum.

Sic familiæ constitutio absolvitur; et ea, ut jam diximus, et ut facile videre fuit, fere tota ex Aristotele ducta, paucissimis e Christiana religione adjunctis.

LIBER TERTIUS.

DE REGIMINE REGNI.

Ut, incipiente secundo libro, hominem ad societatem familiæ natum esse demonstratum est, sic, incipiente tertio, eumdem ad societatem civitatis natum esse demonstratur.

Si sibi per se ipsam sufficeret societas domus, quam vitæ necessariam invenimus, nulla alia societas homini natura quærenda foret; sed, quum multa sint quæ sibi una domus suppeditare non possit, inde fit vicus, plurium domorum consociatione, in supplementum earum rerum quibus quæque domus indiget; et eadem causa, e consociatione vicorum, aut etiam ex unius vici incrementis, civitas. Civitas ergo nihil aliud est quam familiæ complementum; et, si ad societatem familiæ natus est homo, ad ipsam quoque civitatis societatem genitus sit oportet.

Quod rursus ex humano sermone facile colligi potest. Quum enim in una domo omnia sint domini, nec quisquam alius sibi proprium quidquam et sui juris habeat, nullus ibi justitiæ aut injustitiæ locus; quod contra in civitate, ubi cuique suum est. Si igitur homo a natura ita informatus est, ut justum injustumque mente concipere et verbo exprimere possit, eum ad civilem quoque societatem a natura informatum merito dixeris.

Quis autem est civitatis instituendæ finis, nam ad aliquem finem instituatur oportet?

Idem, ut sensit Aristoteles, civitati finis qui homini est. Homini autem finis est beatitudo aut felicitas, quæ si *beatitudinem supernaturalem*, e sententia Aquinatis, seposueris, perfecta secundum virtutem vita constituitur, adjunctis quæ ad bonum corporis habitum sunt necessaria.

Ad id igitur naturaliter instituta est civitas, seu familiæ unius incrementis, seu concordia familiarium unam rempublicam constituentium, ut omnes et virtute et externis bonis bene vivere possent, quod sine ea fieri nequiret.

Is est illius finis, e quo illius definitio deducitur, et ad quem tendat aut dirigatur oportet.

Ut finem civitas assequatur, ductore illi opus est. « *In omnibus enim, ut ait Aquinas, quæ ad finem* « *aliquem ordinantur, in quibus contingit sic et aliter*

« *procedere, opus est aliquo dirigente, per quod directe*
« *debitum perveniatur ad finem.* »

« *Unoquoque id quod est sibi congruum providente,*
« *multitudo in diversa dispergeretur, nisi etiam esset*
« *aliquis, de eo quod ad bonum multitudinis pertinet*
« *curam habens.* »

Quæramus ergo et quis debeat esse ille publici boni curator, et quomodo civitas ab eo gubernanda sit. At, quum in nulla arte aut scientia sibi quisquam sufficiat, sed præcedentium auxilio quisque egeat, quasi viam ei monstrantium, prius nobis quærendum erit quid de civitatum regimine antiqui philosophi senserint, ut, cognito quid sit vitandum aut imitandum, metam certius attingere possimus.

Inde tres in hoc libro partes :

Prima de politicis veterum philosophorum sententiis ;

Secunda de regimine civitatis, pacis tempore ;

Tertia de regimine ejusdem, belli tempore.

PRIMA PARS : **De politicis veterum philosophorum sententiis.**

Harum partium *prima* ita ex Aristotele sumpta est, ut facile crederes Ægidium multo minus eam in

(1) Sanctus Thomas, De regimine principum, cap. 1.

tractanda re necessariam judicavisse, quam nimiæ Aristotelicam doctrinam tradendi voluptati indulsisse.

De *Republica* Platonis primum agitur.

Optimam eam civitatem censuit Plato, quæ quam maxime una foret; unde, ne dissidium, quum sua quisque tuenda haberet, inter omnes oriretur, privatum omne jus sustulit, fortunas, uxores et pueros in commune miscens, ita ut, privatæ rei cura jam non disjuncti, mutua etiam caritate se quasi patres et filios cuncti cives diligerent (1).

Ad quæ refellenda Ægidius, Aristoteli innixus, contendit, non eam civitatem optimam esse, quæ quam maxime una sit, quum diversis officiis constet civilis societas, et inde hominum varietate egeat, qui ad unum redigi nunquam possint; multa contra incommoda in hac omnium rerum communitate, quasi in certo jurgiorum fonte, inesse, etiamsi humanæ naturæ non contraria foret, cujus cunctis viribus impugnatur. Sua cuique sit res, sua cuique uxor, sua cuique progenies oportet. Nulla est civitas quæ aliter consistere possit; quum ab ipsa natura injectus sit in cujusque animum suæ rei, suæ uxoris, suorum liberorum amor.

Nec meliora alia quæ sensit Plato, quum ipsas quoque feminas ad bella exerceri jusserit, et in certos

(1) Quod de solis bellatoribus intenderat Plato, eum de omnibus civibus intendisse profitetur Ægidius.

immotosque ordines populum omnem digeri voluerit, ita ut iidem semper rempublicam magistratibus gubernarent, iidem in armis defenderent, et iidem rursus artificum operas semper exsequerentur. Hæc omnia respuit Ægidius, iisdem ac Aristoteles argumentis.

Non omnino tamen hæc rejicienda putat; *ad bonum intellectum,* enim, ut ait, deduci possunt, si non *ut verba sonant* ea intelligere velis : Scilicet ne ad unum redigantur cives, sed una mente sint et uno animo; sua cuique sit et res, et uxor, et progenies, sed cæteros quisque tanquam se ipsum amet, et privatas res suas quasi communes liberalitate faciat; ne ad bella convocari soleant mulieres, sed patriam, si occasio postulat, ipsæ defendere possint; ne iidem semper in publicis muneribus continuentur, sed eadem semper sit magistratibus virtus; ne sit bellatorum ordo, qui soli arma tractent, sed sint nobiles, quibus præcipua armorum cura, et qui in bella sint cæteris civibus parati duces.

De sententiis philosophi Phaleæ dein disseritur. Ad tollenda dissidia civium, nulli majores quam aliis reditus aut majora prædia permittenda, sed æquandas omnium fortunas, censebat ille; quod aliter atque aliter efficiendum erat, prout nova institueretur civitas, aut jamdudum instituta corrigeretur. Hanc autem fortunarum æqualitatem, summa prudentia et firmissimis argumentis, ex Aristotele

ductis, omnino respuit Ægidius, quum ea stabiliri nequeat, nisi idem semper sit omnibus civibus liberorum numerus, et quum tam exiguæ esse debeant æquatæ omnium partes, ut paupertas inde omnibus sit ortura.

Nec communes igitur, nec æquatæ sint omnium civium fortunæ : liceat cuique per leges habere quantum sibi comparare non inhoneste poterit; cupiditates autem refrænare lex aggrediatur : hinc enim omnis mali fons; hinc omne inter cives dissidium; nec aliunde quam ex earum correctione quærenda jurgiis remedia.

Pauca sequuntur de Hippodonii philosophi doctrina, sed quæ minoris momenti facile judicari possunt, et quæ neglecta non desiderabuntur.

SECUNDA PARS : **De regimine civitatis, pacis tempore.**

Ea sane est totius hujus voluminis præcipua pars, qua certe apud æquales maxime inclaruit Ægidius, et maxima apud posteros auctoritate valuit. In hac igitur nostrum *expositionis* modum leviter immutare nobis liceat, nec jam capitulorum ordinem pedetentim et religiose sequi.

De reipublicæ forma, id est de potestate, disserentibus, prima hæc quæstio tractanda esse videtur : *Unde potestas inter homines oriatur?* Primum igitur quæramus quid de illa re senserit noster; et, ad illustrandam ejus sententiam, præcedentium *mediæ ætatis* scriptorum sententias brevibus verbis exponamus, ad aliosque ipsius libros, si quando res postulat, discurramus.

Justam potestatem violentia et vi constitui posse neganti, duarum de Potestatis origine sententiarum alterutra eligenda est : Dominationis principium e populari consensu, aut e divina voluntate, deducat oportet. Harum opinionum prior apud antiquos vulgata fuit; altera autem Christianæ fidei quasi propria est. Quum enim « *omnem Potestatem a Deo* « *esse* » et « *per Deum reges regnare* » Sacri Codices affirmaverint, necessario inde quædam de potestatis origine doctrina nata est, quæ, *juris Divini* dicta, in nostris fere temporibus a Bossuetio clarius illustrata est, sed quæ jam in primis Ecclesiæ scriptoribus apparet, in transeundo quidem quasi delibata, nec in propriis de re politica libris penitus tractata, sed jam certa tamen et bene distincta (1). Mox autem in peculiaribus libris se explicat, et jam circa annum DCCCLXXXIV in *Admonitione Hincmari, Remensis Episcopi, ad Carolomanum regem*,

(1) Sanctus Augustinus (De civitate Dei). — Tertullianus (Apologetica). — Goldastus (Monarchiæ, tomus 2, sancti Ambrosii et sancti Gregorii papæ Epistolæ).

de potestate Regali et Pontificali, magna verborum auctoritate profertur. Huic libro si creditur, nihil nisi e Sacris-Codicibus haurienti, Rex in Ecclesiæ utilitatem populique tutelam, Pontificum manu, institutus fuit a Deo, « *qui elevat de stercore egenum, et « sedere facit cum principibus populi sui, et deponit « potentes de sede, et exaltat humiles;* » totus igitur a Deo pendet princeps, ab eo solo remuneratus castigatusve, prout bene aut male se gessit. Rudis tamen adhuc et inchoata tantum doctrina, multarum rerum oblita, aut potius ignara, et bonos malosve esse principes ne suspicari quidam visa.

Perspecta est autem ea distinctio in libro Hugonis monachi, circa annum MCXXX, et jam inde quæsitum, utrum boni tantum an mali quoque principes a Deo essent; et illud asseveratum utrosque pariter a Deo esse, bonos scilicet in remunerationem gentis, malos autem in castigationem experimentumve, sed utrosque similiter ad salutaria Dei consilia exsequenda.

Item est in libro Johannis Salisberiensis, *De nugis curialium* dicto, et paucis post annis in publicum edito. Princeps est quem Deus elegit, « *quem dispo- « sitio Divina in arce reipublicæ collocavit* (1), » quem sacerdotum ministerio cæteris prætulit, cujusque in reverentiam obedientiamque populorum animos inflexit. Nec de bono tantum principe, sed de malo

(1) Lib. V, cap. 6.

quoque, et tyranno, hoc affirmatur (1). « *Ministros* « *Dei tyrannos esse non abnego, quos justo suo judicio esse* « *voluit, per quos punirentur et corrigerentur mali, et* « *exercerentur boni.... Electus est Saül, qui totum popu-* « *lum servitutis premeret jugo; idem tamen Christus* « *Domini dictus est, et tyrannidem exercens regium non* « *amisit honorem....* » A Deo igitur principes omnes in Salisberiensi, sicut in prioribus, oriuntur; in eo tamen est aliquis, qui in præcedentibus non apparuit, popularis consensus usus, ad prœficiendum principem concurrentis (2) : « *In veteri enim testa-* « *mento legitur quia Moyses, quum ordinatus fuit qui* « *præesset populo, convocavit omnem synagogam, et elec-* « *tus fuit adstante populo, ne qua postmodum retractatio* « *cuiquam, ne quis scrupulus resideret.* » Sed nihil est popularis iste consensus, nisi debitus voluntati divinæ, per sacerdotes manifestæ, populi assensus : « *potestas ei tradenda est quem judicio sacerdotum Deus* « *designavit;* » regem quem Deus elegit agnoscere, illique obedire populi debent, quia Deo debent obtemperare, qui eum pro vicario sumpsit, eique, sicut sibi ipsi, homines parere jussit.

Non alia est sancti Bernardi, Petri Lombardi Novariensis, Guilelmi Peraldi, Vincentii Bellovacensis, et sancti Bonaventuræ doctrina (3); hoc igitur

(1) Lib. VIII, cap. 18.

(2) Lib. V, cap. 6.

(3) Sanctus Bonaventura, De libro sententiarum commentarius, lib. II, distinctio 44, art. 2, quæstio 1.

contendi posse videtur, nullam aliam potestati originem, nisi divinam voluntatem, a prioribus Beato Thoma scriptoribus assignatam fuisse (1) (etsi popularis consensus aliqua mentio facta fuerit) nec ulla alia causa subditos principum obedientiæ adstrictos fuisse, quam debita jubenti Deo obtemperatione (2).

Versa autem in latinum sermonem, et publice exposita, Aristotelis Politica, alteram doctrinam protulit Aquinas, quam e Philosopho hausit.

Sacrorum quidem Codicum auctoritatem non respuit, eorumque sententiarum se tenacem esse voluit, sed, quum variis interpretationibus habilia essent verba, ea quæ priores tanquam de singulis potentibus dicta interpretati erant, ipse tanquam de protestate in universum considerata interpretatus est. Ergo, si illi creditur, omnis quidem potestas a Deo est, sed potestas ipsa, at non potentes (3). Potestatem quidem in hominum societate exerceri voluit Deus,

(1) Confer cum libro inscripto, *Essai historique et critique sur la suprématie temporelle du Pape et de l'Église*, par M. l'abbé Affre, ch. 23. (Amiens, 1829.)

(2) Alia tamen est potestatis regiæ origo, si Gregorio septimo creditur, in Epistola ad Hermannum Episcopum : hanc enim a diabolo ortam, et superbia hominum inventam affirmat (Fleury, *Histoire ecclésiastique*); quum contra Henricus imperator se ab ipso Deo institutum contendat. Sequenti sæculo Arnaldus (e Brescia) reges potestatem suam a Deo tenere profitetur; unde Romani, illo auctore, ad Conradum imperatorem his verbis scribunt : « .... Et « quidem regnum et imperium Romanorum, vestro regimini a Deo con- « cessum, exaltare et amplificare cupientes. »

(Maimbourg, *Histoire de la décadence de l'Empire.*)

(3) Commentarius de Epistolis sancti Pauli ad Romanos, cap. 13.

quum sine gubernatione nulla unquam societas consistere queat; et ideo potestas a Deo esse vere dicitur, quia e natura societatis est, quæ ipsa est a Deo; sed nec certam ullam civitatis formam Deus cuiquam populo imposuit, nec quemquam ulli ipse præfecit, nisi qui principatum juste sit adeptus (1).

Quinam ergo principatum juste adipiscuntur? Et quorum justa auctoritas?

In hac quæstione solvenda Aristotele usus est Aquinas. Secundum Aristotelem, eorum justa auctoritas est, qui cæteros virtute et prudentia præstant, nec ulli est recta dominandi causa, nisi quod melior cæteris est, et cæteris inde bene est, si ab eo gubernantur. Si quis igitur inter homines supra cæteros excellit, ut supra fœminam vir, supra liberos pater, supra servos dominus, supra corpus anima, hic ad imperium natus est, et ei jure deferenda est auctoritas. Hæc omnia approbavit Aquinas; et imo, eis non contentus, candide contendit, quod aperte enuntiare non ausus erat ipse Aristoteles, eximium hunc et præstantem virum, occasione data, peccare, si non seditionem moveat, ut rerum administratione, qua dignus est, potiatur (2).

Sed rara hæc tanta excellentia, quam non Græ-

(1) Hanc sententiam explicuit Bellarminus : Certum est politicam potestatem a Deo esse, etc.... (De Laïcis, lib. III, cap. 5.)

(2) Expositio, liber V, lectio 1, § d.

corum ullorum supra Græcos, sed Græcorum supra Barbaros, Aristoteles esse contendebat; quum igitur quærendus sit alius potestatis constituendæ modus, Aquinas, Aristotelis exemplo, professus est civium esse plerumque eligere quem sibi ob virtutem et prudentiam merito præficiant, nec paucorum civium, sed *omnium* potius, quia, excepta bestiali hominum turba (quæ rara est), multitudo plerumque, licet singuli sint imprudentes, multo melius quam pauci prudentes, de prudentia aliorum judicare solet (1).

Illam bestialis turbæ exceptionem notemus; sed nihilominus in his jam popularis electio pro constituendæ potestatis fundamento ponitur. Quod alia quoque via ab Aquinate demonstratur *in Summa Theologica,* quum *finis principantium sit felicitas populi,* et *in omnibus ordinare in finem sit ejus cujus est proprius ille finis* (2).

Ante Ægidium igitur, utraque de potestatis origine doctrina jam ab ipsis *mediæ ætatis* doctoribus prolata fuerat; et, quam amplexus est, eam, rebus utrinque perspectis, arripere potuit.

Hanc tamen, si in ipso *Regimine principum* inquires, nec satis apertam, nec satis enucleatam invenies. Quanquam enim ab Aristotele ea reti-

(1) Aristoteles, Politica, lib. III, cap. 6. — Sanctus Thomas, Expositio, lib. III, lectio 14, § f, g, h; lectio 8, § l; lectio 11, § l.

(2) Prima secundæ, quæstio 90, art. 3.

neat noster, quæ de debita *principantium* excellentia Philosophus disseruerat, et, qui principatu dignus sit, eum politica virtute supra cæteros eminere debere tenaciter contendat, multosque etiam profiteatur ob virtutum præstantiam *rite* a populis electos fuisse principes (1), nusquam tamen de *principantium* origine in hoc volumine specialiter disserit; quasi a tali quæstione, offensionis metu, refugiat.

Manifeste autem ejus sententia expressa est in tractatu *De Utraque Potestate*, et *in Commentario de libro Sententiarum;* sed mira in eis doctrinarum de hac quæstione discrepantia (2).

Horum enim priori si creditur, ab uno Deo, nec ab *alio quoquam*, potestatem singuli reges obtinent.

In hac igitur maximi momenti quæstione, non pro Aquinate, sed pro Johanne Salisberiensi, et Hugone Floriacensi, stat Ægidius; ab his tamen maxime diversus, quod ii auctoritatem, quam a Deo tenet, ab ipsis quoque sacerdotibus, tanquam a Dei ministris, regem tenere contenderint, ipse contra nullam in regum institutione partem sacerdotibus, quasi Dei instrumentis, attribuerit, et nihil quidquam reges ab ipsis pontificibus tenere acriter propugnaverit (3).

(1) Lib. III, pars 2, cap. 6.

(2) De Utraque Potestate, art. 1, 2, 3. *Commentarius de libro Sententiarum*, lib. II, dist. 44, quæst. 1, art. 2.

(3) Ægidius, art. 5.

In *Commentario* autem sanctum Thomam aperte sequitur Ægidius. Jam non enim in hoc libro omnis potestas a Deo est, nisi *generaliter* tantum, *et in quantum ordo est*. Singularum autem potestatum *adeptio* mala esse potest, nec tunc est a Deo; et sola ea potestas jure stabilitur, quæ voluntate civium constituitur (1).

Ergo cum tractatu *De Utraque Potestate* pugnat *Commentarius*, cum quo potius consentire librum *De regimine principum* fatendum est, ita ut ea potius sententia Ægidio attribuenda videatur. Unde certe non contemnendum argumentum, ad usum eorum qui tractatum *De Utraque Potestate* ab Ægidio compositum fuisse negant.

His autem de potestatis origine in utramque partem expositis, quot et quæ sint civitatis genera quæramus.

Sex civitatis formas descripserat Aristoteles: rempublicam enim aut ab uno, aut a paucis, aut ab omnibus gubernari docuerat, et eam, quocunque modo gubernaretur, bene et jure regi, si publicæ utilitati rectores illius consulerent; male autem et inique, si suæ. Unde sex principatus genera, prout bene aut male, ab uno, a paucis, aut ab omnibus, respublica gereretur. Si ab uno, in publicam utilitatem, *βασιλεία* erat; in propriam contra, *τυραννίς*. Si a paucis, in commune bonum, *ἀριστοκρατία* erat; in proprium autem, *ὀλιγαρχία*. Si a multitudine, in commoda omnium, *πολιτεία* erat; si contra in

(1) Distinctio 44, quæst. 1, art. 2; quæst. 2, art. 2.

solius plebis bonum, et in procerum oppressionem, δημοκρατία (1).

Hæc omnia admittit Ægidius, quæ jam in suo *Regimine principum* professus erat Aquinas. Unde sex illi *principantium modi, regnum* scilicet, *aristocratia* aut *politia,* quum bene ab uno, a paucis, aut ab omnibus respublica geritur; *tyrannis* contra, *oligarchia* aut *democratia*, quum male (2).

Inter bonos autem delectus habendus est, nam, quamvis boni sint omnes et legitimi, non æque tamen boni sunt.

Ad *politiam* inclinare visus erat Aristoteles, quia plurium oculi plura vident, et plurium manus plura possunt, quam unius; quia quoque, quo plures sunt gubernantes, eo minus eorum utilitas, si ad eam spectant, a communi omnium utilitate discedit; quia denique plures difficilius quam unus cupiditatibus corrumpuntur (3).

Aquinas autem pro unius dominatione steterat, tribus argumentis innixus :

1° « Quia reipublicæ salus a concordia omnium, « id est *ab Unitate,* pendet; *manifestoque unitatem* « *magis efficere potest unius regimen quam plurium.*

2° « Quia *ea quæ sunt secundum artem, imitari* « *debent ea quæ sunt secundum naturam;* » in natura autem, quotiescunque sunt plures unius corporis

(1) Politica, lib. III, cap. 4 et 5.
(2) Lib. I, cap. 1.
(3) Politica, lib. III et IV, passim.

partes, aliqua est præcipua pars, cujus sub dominatum cæteræ rediguntur : « *Sic in membrorum multi-*
« *tudine unum est quod omnia movet, scilicet cor;*
« *sic apibus est unus rex ;* et *in toto Universo unus*
« *Deus factor omnium et rector.*

3° « *Quia hoc etiam experimentis apparet : nam pro-*
« *vinciæ, vel civitates, quæ non reguntur ab uno, dis-*
« *sentionibus laborant, et absque pace fluctuant, ut*
« *videatur adimpleri quod Dominus per prophetam con-*
« *queritur, dicens : Pastores multi demoliti sunt vineam*
« *meam. E contrario vero provinciæ et civitates quæ sub*
« *uno rege reguntur, pace gaudent, justitia florent, et*
« *effluentia rerum lætantur* (1). »

Hanc sententiam amplexus est Ægidius, nec ullis aliis argumentis est tuitus. Contrarias igitur Aristoteli suo partes in hac contentione dijudicanda defendit, ad id tamen connisus, ut quam minime ab eo discrepare videretur. Inde, ut iis, quæ contra unius regimen ab Aristotele fuerant, non sine aliqua veri specie, objecta, satisfaceret, regi præscripsit, « *sibi multos associare sapientes, ut habeat multos oculos, multos pedes et multas manus ;* » ut quoque, eorum consilio, nec commune bonum oblivisci, nec ad cupiditates inflecti, facile possit.

Quemadmodum autem unius regimen, quando rectum est, est optimum omnium, ita, si perversum

(1) Sanctus Thomas, De regimine principum, lib. I, cap. 2.

est, pessimum est, quia in nullo plus a communi bono disceditur. Melior inde aristocratia quam politia, quia *Unitatis* propior est; sed pejor oligarchia quam democratia, quia a communi omnium utilitate magis distat.

Hoc posito, quærendum est inde utrum melius per hæreditatem, an per electionem, regnum transferatur.

Quum multa in hæreditate regni a fortuna et casu pendere soleant, in electione autem major sit prudentiæ et sapientiæ locus, electionem hæreditati præposuerat Aristoteles, quem manifeste in *Summa Theologica* secutus erat Aquinas, ita ut illi ea optima videretur « *ordinatio principum in aliqua* « *civitate, vel regno, in qua unus præficitur secundum* « *virtutem, qui omnibus præsit; et sub ipso sunt aliqui* « *principantes secundum virtutem; et tamen talis prin-* « *cipatus ad omnes pertinet, tum quia ex* omnibus *eligi* « *possunt, tum quia etiam ab* omnibus *eliguntur. Talis* « *vero est omnis politia bene commixta ex regno, in* « *quantum multis unus præest; ex aristocratia, in quan-* « *tum multi principantur secundum virtutem; et ex* « *democratia, id est, potestate populi, in quantum ex* « *popularibus possunt eligi principes, et ad populum* « *pertinet electio principum. Et hoc fuit institutum se-* « *cundum legem divinam, nam Moyses....* etc. (1). »

Hic autem, non minus ab Aquinate quam ab Aristo-

(1) Prima secundæ, quæstio 105, art. 1.

tele diversus hæreditatem viriliter propugnat Ægidius.

Illius argumenta, in hac præcipua hujus operis parte, longius exponere nobis liceat.

Triplici scilicet via, ut ait, ostendit regnum per hæreditatem melius quam per electionem transmitti :

1° « Ex parte ipsius regis, quia *si rex videat debere « se principari super regnum, non solum ad vitam, « sed et per hæreditatem in propriis filiis, magis reputa- « bit bonum regni esse bonum suum, et ardentius solli- « citabitur circa tale bonum.*

2° « Ex parte succedentis, *nam sicut mores nuper « ditatorum, ut plurimum, pejores sunt moribus eorum « qui fuerunt divites ab antiquo, sic mores nuper poten- « tium, et de novo elevatorum per adeptionem civilis « potentiæ, pejores sunt moribus aliorum. Nesciunt enim « tales fortunas ferre.* »

3° Ex parte populi, qui facilius obedit, si hæreditate in consuetudinem conversa est uni prosapiæ obedientia.

Nec satis est definire e qua prosapia rex sumendus sit; persona quoque definiatur oportet, ne in regia domo, et inde in populo, lites oriantur, si ignoretur quis ex hac tota familia regnanti succedere debeat. Nec ulla in eo definiendo difficultas est : « *Nam si di- « gnitas regia per hæreditatem transferatur ad posteros, « oportet eam transferre in filios, quia secundum lineam « consanguinitatis filii parentibus maxime sunt con- « juncti.* »

« Oportet autem talem dignitatem magis transferre « ad masculos quam ad fœminas, quia masculus est « fœmina ratione præstantior, corde animosior, passio- « num minus insecutor.

« Inter masculos autem oportet talem dignitatem tri- « buere magis primogenito quam aliis, quia, ut ait Philo- « sophus, in politiis decet juniores senioribus obedire. « Imo, quia pater plus communiter primogenitos diligit, « ut magis sit curæ regi de bono regni, expedit statuere « regnum succedere primogenito, ut pater ampliori sol- « licitudine curet de bono regni, sciens ipsum pervenire « ad filium plus dilectum. »

Si quis autem in succedenti filio esset defectus, ut mente aut animo ipse minor esset, ad illius defectum suppleretur per sapientes illos probosque viros, *« quos tanquam manus et oculos debet sibi rex in socie- « tate conjungere; »* et minus inde reipublicæ periculum, quam si ancipiti electione et contendentium invidia in discordias civiles adduceretur.

Nihil melius unquam nec rectius pro hæreditate regni dictum fuisse putamus; nec ab ullo antea tam simpliciter pro eadem defendenda pugnatum fuerat. Pro hæreditate scilicet steterant Johannes Salisberiensis et Vincentius Bellovacensis (quanquam de electionis incommodis nunquam disceptaverant), sed ea conditione, ut reges pietate et justitia digni essent qui regnum filiis transmitterent, et filii ipsi patrum hæreditatem iisdem virtutibus mererentur; ita ut, non in populorum utilitatem, sed in divinam prin-

cipum remunerationem hæreditas constitueretur; et, quotiescunque rex aliquis mortuus esset, nova quasi electio fieret, quæ, Dei, id est sacerdotum, nutu, defuncti filio, pro meritis patris ipsiusque, regnum decerneret aut auferret (1).

Pro regia potestate igitur fortius quam quisquam antea pugnavit Ægidius, et firmioribus quam quisquam fundamentis eam constituit; unde jam intelligere possumus, cur ab æqualibus suis *monarchiæ legislator* appellatus fuerit; quod e sequentibus clarius etiam apparebit.

Quidquid de primorum Christianorum opinione in diversas partes disputetur, jam a Gregorio Septimo fatendum est Summorum Pontificum super reges dominationem apud plerosque *mediæ ætatis* scriptores acceptam fuisse : sive alii unam esse censerent supra homines summam potestatem a Deo institutam, *Ecclesiæ* scilicet, cui super *temporalia* et *spiritualia* jus æque concessum a Christo (2); sive alii duas quidem esse *potestates*, a Deo *immediate* constitutas, profiterentur, sed, quum in *temporalem* vitam

(1) Johannes Salisberiensis, l. IV, cap. 10, 11, 12; l. V, cap. 6. — Vincentius Bellovacensis, speculum doctrinale, l. VII, cap. 19.

(2) « Uterque est Ecclesiæ et *spiritualis* gladius et *materialis;* sed is quidem pro Ecclesia, ille vero et ab Ecclesia exercendus est. Ille sacerdotis, ille militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis, et jussum imperatoris. »
(Sanctus Bernardus, De consideratione, lib. IV.)

« Nihil aliud sunt reges quam sacerdotii quidem ministri.... » Ut supra.

« Quum de ratione juris ejus sit nolle, cujus est velle, et ejus sit auferre qui de jure conferre potest. » (Policraticus, lib. IV, cap. 3.)

spiritualis vita dominaretur, quumque ad hanc illa, non in singulis tantum hominibus, sed etiam in populis, esset *ordinanda* (1), *spiritualem* potestatem in *temporalem* rursus dominari crederent, et, quamvis *indirecte*, certum tamen idem jus reges judicandi et etiam deponendi Pontificibus attribuerent.

Ex utraque sententia igitur plura regibus in gubernando impedimenta, a Pontificum auctoritate orta; nec libera rerum administratio, quum semper eorum judicia cavere, et *ecclesiasticam* correctionem reformidare deberent.

Harum de utraque silet Ægidius in ipso *regimine principum;* sed contra utramque in tractatu *De Utraque Potestate* acriter disserit :

« *Non est discipulus super magistrum; nec ser-* « *vus major domino suo; nec vicarius majorem po-* « *testatem habet quam ille cujus vices gerit. Quum* « *igitur Christus Dominus temporali potestate uti no-* « *luerit, sed oblatam refugerit, exemplo suo evidenter* « *ostendit, et evidentia facti docuit vicarium suum* « *talem potestatem refugere, non ambire, nec sibi im-* « *peratoriam majestatem aut regiam dignitatem vindi-* « *care* (2). »

Quum non a Dei ministris, sed ab ipso Deo, reges potestatem obtineant, a solo Deo, nec ab alio quo-

(1) Sanctus Thomas, De regimine principum, lib. I, cap. 14.

(2) De Utraque potestate, articulus 3.

quam, ne a Papa quidem, pendent. Solus eis judex in *temporalibus* est Deus; nec concessa Pontifici cuilibet in populorum regimen intercessio. In *spiritualibus* se jactet summus Pontifex; hic imperet; hic dominetur; hic homines ad æternam felicitatem dirigat; sed singulorum hominum, non populorum, est æterna salus; civitatum igitur administrationem Pontifex totam iis relinquat, quibus est hoc officium a Deo impositum. «Apud Matthæum, 16, ubi Christus « vicarium suum instituit, videlicet beatum Petrum « et successorem ejus, ait : *Tu es Petrus, et super hanc « petram ædificabo Ecclesiam meam;* et *portæ inferi « non prævalebunt adversus eam;* et *tibi dabo claves « regni cælorum;* non dixit, *et dominium terrenorum.* « Revolve cuncta Sacræ Scripturæ volumina, nun- « quam invenies apostolos sedisse ut de *tempora- « libus* judicarent, nec petiisse ut reges et principes « eis in *temporalibus* subjacerent, aut de ejusmodi « respondere deberent (1). »

Libera igitur ex ea parte, secundum Ægidium (si quidem istius tractatus vere est auctor), regum autoritas est, et omni impedimento soluta.

Quænam autem jura illi attribuerit, et aliqua ne frena, ex alia qualibet parte, ei imposuerit videamus.

E quatuor fontibus oriri possunt summæ regum dominationi impedimenta :

(1) Art. 3.

E consiliariis,
E nobilibus,
E legibus,
E populo.

E consiliariis orirentur, si genere, aut populi electione, illi in hoc statu positi fuissent; et si nullum regis decretum pro lege haberetur, nisi ab illis prius approbatum fuisset. Sed apud Ægidium consiliarii regis ab ipso rege electi sunt, qui eos sibi associat et conjungit, nulla alia quam luminum vice defuncturos, a quibus oculos avertere potest, tametsi non debeat. Hos probos et innocentes, hos regi benevolos, hos sapientes esse vult Ægidius, et de omnibus regni commodis eos in publicam utilitatem ponit consulendos; sed ad docendum, non ad resistendum, eos instituit; nec ullum in eo reperias verbum, e quo promulgandæ regiæ voluntati, et pro lege habendæ, illorum approbatio necessaria sit (1).

E nobilibus rursus aliqua regi impedimenta gignerentur, si quid legitimæ potestatis iis assignaretur, ut contra regem pro publicis commodis ex jure stare possent, quod in Mariana certe et in Junio Bruto reperire est (2); sed nihil tale apud nostrum. Nobiles quidem ingenuosque viros benigne habet; eos, invito Aristotele, magnanimitate, ma-

(1) L. III, pars 2, cap. 19 et 20.

(2) Mariana, De rege et regis institutione, l. I, cap. 8; l. II, cap. 1. — Junius Brutus, quæst. 3. — De regimine, l. I, p. 4, cap. 5.

gnificentia, docilitate, industria, affabilitate exornat; eorum vitia leviter, quasi transeundo, perstringit; sed virtutibus et divitiis potius quam certa ulla auctoritate eos auget; et, si tanquam paratos cæteris ad bella duces ostendit, nullum peculiare jus iis attributum in eo deprehendas (1). Quin etiam, non eam optimam civitatem affirmat, ut Mariana posthac, in qua multi sint nobiles, dignitate et potentia aucti, qui publicam libertatem contra regis licentiam tueantur; nec in crimen regibus vertit, ut Junius Brutus, si ad consilia et ad officia ignobiles viros potius quam nobiles adsciverint; sed contra optimam eam civitatem existimat, quæ *mediis personis* abundet, quia, ut docuerat Aristoteles, firmissimum in eis pacis et concordiæ fundamentum est; nec nobilitatem generis, sed prudentiam tantum et morum integritatem, a consiliariis regiis requirit.

Nullum igitur nec in consiliariis nec in nobilibus, regum auctoritati frenum.

Aliquod ne saltem impotenti eorum dominatui impedimentum in legibus inveniemus?

Duo sunt genera legum : aliæ quæ naturalia jura dicuntur (id est *quæ justa esse ratio naturalis dictat*); aliæ quæ positivæ leges nominantur (id est singula illa decreta et statuta, quæ pro temporibus rebusque fiunt).

(1) De coercendis nobilibus sæpe cogitat : « Quartum autem quod politia « habere videtur, est cavere seditiones et contentiones nobilium... . » (L. III, p. 2, cap. 15.)

Naturalia quidem jura necessario regibus observanda putat Ægidius, nec quidquam recte sanciri posse, quod contra illas æternas leges sanciatur; quibus quoque adjicit ea quæ *jura regni* ipse vocat, et quæ pariter reverenda existimat, si *quis vere rex, non tyrannus, haberi velit*. Positivas autem leges penes regis arbitrium esse declarat, dummodo ad utilitatem regni dirigantur. *Has propria sua auctoritate rex constituit* (1); has sancire aut abrogare (quanquam hac licentia modeste uti debet), sine ulla populi intercessione potest; totæ ex eo sunt; supra eas est; nullum est igitur in iis illi vinculum, quum, si quibus impediatur, immutare possit. Sola inde regiæ licentiæ frena in juribus regni et in legibus naturalibus. Sed parva hæc, si fide tantum, et ipsius Dei metu, rex ad observanda adstringitur.

In populo autem certiores regiæ impotentiæ moras invenire nobis dabitur.

Diu multumque in *media ætate* disceptatum est, quid populo esset agendum, si quis regnum vi usurparet, aut bene obtento male uteretur.

Quum omnem potestatem, bonamve malamve, a Deo esse censeret, omnem potestatem, quæcumque foret, patienter esse ferendam, omnesque principes, bonosve malosve, æque esse tolerandos, concluserat (2) Hugo Sanctæ Mariæ; et, si qua contra legem

(1) Lib. III, pars 2, cap. 29.— Ab eo dissentiunt Marsilius Palavinus, Defensor pacis, l. I, cap. 12. — Mariana, l. I, cap. 9. — Junius Brutus, quæst. 3.

(2) Hugo, l. I, cap. 4.

divinam imperarentur, moriendum quidem esse potius quam a divina lege desistendum, sed nunquam vi et armis resistendum. Quam doctrinam, posthac in Gallia ab omnibus regiæ potestatis defensoribus repetitam (1), splendidissimo tandem lumine illustravit Bossuetius.

At longe aliter sensere qui Summo Pontifici grave reges deponendi jus condonare voluerunt. Illi scilicet pravum regem, populorum jura divinasque leges violantem, a populis regno detrudi interficique etiam jure posse contenderunt. Hanc sententiam jam in Johanne Salisberiensi reperias, quamvis divinæ singulorum principum origini non satis congruam. Inde ab Aquinate usurpatur, in quo melius cum populari electione convenit; unde quoque a Bellarmino et Mariana serius extrahetur, Summo Pontifici mire utilis, tanquam sacra populorum jura contra regum licentiam defendenti.

Huic quæstioni, nec in tractatu *de utraque potestate*, nec in ipso *regimine principum*, aperte respondet Ægidius. Nusquam equidem, Hugonis ad exemplar, contendit, obedientiam cuicunque regi, vel iniqua imperanti, deberi, ita ut contra fas agant subditi, si injusta præcipienti non obtemperent; et, si quando ad malum principem tole-

(1) Bodinus, De Republica.— Bedæus de la Gormandière (jus regum). — Chanteresne, *De l'éducation des princes.* — Balzac, *Du prince.* — Bossuet, *Politique tirée de l'Écriture sainte; Sermon sur les devoirs des rois.* — Fénelon, *Sur le gouvernement civil*, livre X.

randum, potius quam vi impugnandum, subditos hortatur, non pro jure, sed pro ipsorum utilitate se loqui profitetur, quum e civilibus bellis multo pejora quam ex ipsa tyrannide oriri putet. At nusquam rursus, in his scriptis, ad imitationem Salisberiensis et Beati Thomæ, declarat ex ipso populorum jure posse vi et armis injustæ dominationi resisti. Similem dicas hic recusanti quid de hac quæstione sentiat palam profiteri. Multo autem liberior manifestiorque ejus sententia apparet *in commentario de libro sententiarum* (1). Hic non modo principi *peccata* præcipienti obedientiam, vel usque ad necem, denegari jubet, « *sicut martyres faciebant, jussa principum contemnentes,* » at insolita quoque jubenti obtemperationem deberi negat (2): » *ut si vellent imponere nova pedagia, vel novas talias,* » ita ut, in talibus, quum principatu injuste utuntur Domini, ab eorum obedientia subditos se subtrahere posse declaret. Cui sententiæ mire convenit in pluribus locis ipse liber *de Regimine principum,* quum principes ea tantum conditione jure regnare affirmet, si, cæteris meliores, rempublicam ad utilitatem omnium, non ad suam, dirigant; quumque sæpius ex historia, nec criminatus, ostendat populum ad arma contra tyrannos ruentem, malisque regibus insidiantem.

(1) Lib. II, dist. 44, quæst. 2, art. 2.

(2) Eadem sentit Beatus Thomas, in commentario suo de eodem libro. l. II, dist. 44, quæst. 2, art. 1.

Non debita igitur, secundum Ægidium, cuicunque principi, quæcunque præcipienti, obedientia. Regem potentiam male adeptum, aut res male gubernantem, populus jure extrudere potest; et inde saltem aliqua sunt regiæ licentiæ impedimenta. Sed nusquam alia quælibet huic dominationi frena inquire. Nulla enim in publica rerum administratione pars est populo attributa, et est inter subditos princeps ut anima inter membra et in corpore. Omnia ab eo oriuntur, omnia illius nutu fiunt: « *Rex enim est,* ut « ait Ægidius (1), *quasi sagittator quidam; populus* « *vero est quasi sagitta quædam dirigenda in finem et in* « *bonum.* » Regium igitur principatum, ex Ægidii sententia, non male definiendum puto, summam rerum potestatem, ipsius Dei voluntate consecratam, sponte sua omnia dirigentem, nec ullos in partem sui juris admittentem, sed in commune bonum exercendam, et principis religione, juribus regni, Deique et civilium irarum metu temperatam.

Hanc igitur regum potestatem, ut quam optime exerceatur, diligenter curat; et, quia facilius ad pejorem auctoritatis usum principes delabi possent, ideo magis cavet ne naturale regimen in pessimam tyrannidem pervertatur. Multi inde in eo capituli de regum officiis et de tyrannorum vitiis, ex Aristotele et ipso Aquinate plerumque ducti.

(1) Lib. III, pars 2, cap. 8.

Si quis ergo *gentem sibi commissam debite gubernare volet*, litterarum studium in suo regno fovebit, nec aliquos tantum, sed totum populum ad eas arcesset; bonis moribus favebit, curabitque simul ut subditi bonis iis exterioribus abundent, quæ ad bene vivendum adjumenta sunt.

« *Regni reditus igitur in solius regni bonum expen-* « *det, quum contra tyranni meretricibus, adulatoribus,* « *et aliis personis inutilibus eos profundant.* » Hæreditates civium maxima diligentia tuebitur, ut patrum fortunis filii certe succedere possint. Bonos omnes contra malorum injurias, nullo personarum respectu, æqualiter proteget, et universam gentem contra vim hostium defendet; sed, malos coercendo, a nimia severitate cavebit; et, hostium propulsor, *suum rursus dominium per usurpationem et injustitiam dilatare* abstinebit.

Ad monita sapientum docilis, bonas leges observabit, bonosque cives diligenter remunerabitur, nec cives tantum, sed ipsos quoque extraneos, « *ut puten-* « *tur non sic honorati esse a civibus propriis, si inter* « *ipsos existerent.* »

Metum quidem subditis incutere conabitur, quum absque metu coerceri perversi nequeant, sed amorem multo magis, quia multo meliores qui amore impulsi obediunt quam qui metu; et quia sibi ipsi « *maxima* « *inde bona lucrabitur* (1), » quum in amore suorum

(1) Cap. 36.

maxima sit delectatio, « *et quum veris regibus plus* « *donetur ex amore quam tyrannis proveniat ex prœda-* « *tione populi* (1). »

Ea sunt præcipua regis officia, quibus divinorum curam adjiciet, tanquam *complementum omnium*, ut Deum sibi amicum habere populo videatur; utque, reipsa, Deo acceptus, omnia jam in hac vita bene sibi succedentia videat, et æternam felicitatem post mortem adipiscatur.

Si contra in tyrannum degenerabit, id est si non subditorum utilitati, sed suis cupiditatibus consulet, privatarum domuum deprædator, sapientibus et litteratis infensus, publicæ pecuniæ in malos usus prodigus, omniumque sacratarum legum violator, in exsecrationem omnium incidet, et, postquam, insidiis undique circumventus, vitam omnibus animi acerbitatibus dilaceratam inter homines misere traxerit, ineluctabili supplicio apud inferos mulctabitur.

Ea sunt quæ, secundum Ægidium, princeps exsequi aut vitare debet; pauca admodum nunc adjiciamus, ut perfecte adumbrata sit illius regiminis imago.

De consiliariis et de populo omnia quæ alicujus momenti erant jam in præcedentibus diximus. De judicibus et de legibus aliqua nobis dicenda supersunt.

Omnia quæ de judicibus sensit Ægidius, ex Aris-

(1) Cap. 12.

totele sumpta sunt, seu ex ipsa Politica, seu e Rhetorica.

Jam primum hoc ponendum est, quod, « *quantum « possibile est, omnia legibus sunt determinanda,* » et quam paucissima judicum arbitrio committenda. *Quod quadruplici via investigari potest :*

1° Quia, quum multo pauciores sunt legumlatores quam judices, facilius est sapientes legumlatores quam judices reperire.

2° Quia multo minus est his quam illis deliberandi tempus, et quid sit rectum videndi.

3° Quia, quum conditores legum *in universali* tantum, et de futuris leges constituant, judices autem de præteritis et *de particularibus* sententiam ferant, multo magis hi quam illi personarum amore aut odio perverti possunt, et a recta via declinare.

4° Quia minor judicibus invidiæ timor, si non ab ipsis, sed a lege, de re judicatum fuisse videatur.

Item, ex Aristotelis sententia, et ex ejusdem argumentis, prohibebitur vehementior oratio, ad animos judicium commovendos apta : immoto animo res judicentur oportet, quo melius quid sit verum discernatur.

Requirendum est quoque a judicibus, ut nunquam auctoritatem a legumlatore sibi commissam excedant; ut legum prudentiam, rerumque experientiam habeant, ut denique recta voluntate valeant.

Iidem in judicando sint clementes, fragilitatis hu-

manæ memoria. Et (mirum !), quam noster in primo hujus voluminis libro, quum de virtutibus ageretur, satis male descripserat, clementiam in hac parte multo melius adumbrat, et firmissimis argumentis confirmat, nihil quidem ultra Aristotelem proferens, sed totum saltem eum referens.

Ex Aristotele quoque pleraque quæ de legibus disserit.

« *Leges sunt*, ut ait, *regulæ juris per quas in nostris* « *agibilibus regulamur, dijudicantes per ipsas quod est* « *justum et quod non*, *in nostris actionibus* (1). »

Ergo quæ dicenda sunt de legibus, eadem de jure dici possunt, et vice versa.

Duæ porro sunt leges, ut jam diximus :

Lex naturalis,

Lex positiva.

« *Dicuntur enim justa naturaliter quæ dictat esse talia* « *ratio naturalis, vel ad quæ habemus talem impetum* « *aut inclinationem.* »

« *Justa vero positiva dicuntur quæ non ex natura sua,* « *sed ex pacto hominum, vel ex institutione, justa judi-* « *cantur.* »

Inde jus naturale semper et ubique idem est, et, quum sponte sua omnium intellectui se offerat, nusquam nisi *in cordibus nostris* inscribitur. Aliud autem apud alios jus positivum est; et, quum non sponte intellectui apparuerit, at per industriam sit

(1) Lib. III, pars 2, cap. 24.

inventum, alicubi sit inscriptum oportet, ut ab omnibus cognosci possit, nec e memoria excidat.

Hoc quoque inter utrumque interest, quod ea quæ jus naturale inchoat, jus positivum absolvit : *sic fures « punire est de jure naturali, sed eos sic vel sic punire est « de jure positivo. » .... « Ubi terminatur jus naturale, « jus positivum oritur* (1). »

Hæc autem de naturali jure sunt quæ naturam nostram sequuntur, prout sumus *homo, animal, aut simpliciter ens aliquid.* Nec quidquam de jure positivo est, quod non e jure naturali deducatur.

Tria ergo legi positivæ necessaria sunt :

1° Ut legi naturali sit congrua : aliter enim non justa est, nec proprie lex, sed corruptio legis.

2° Ut ad commune bonum dirigatur, nam commune bonum privatam utilitatem ordine et jure antecedit, *et turpis est illa pars quæ discordat a toto* (2).

3° Ut competat regionis consuetudini moribusque gentis cui imponitur, quia Aristoteles dixit, *non oportere adaptare Politias legibus, sed leges Politiæ.*


Hujus modi leges a principante promulgatæ plura sibi proponere debent :

1° Præcipere quid bene sit agendum ;

2° Prohibere quod male fieret ;

3° Permittere quæ nec bona nec mala sunt, et ipsa mala quæ non graviora sunt, quia multo

(1) Cap. 25.
(2) Cap. 26.



numerosiora ea sunt quam ut sub legislatorem cadant (1);

4° Remunerare qui bene egerunt;

5° Punire qui male.

Quæcunque autem sint positivæ leges, sub principis arbitrio sunt, ut jam dictum fuit, nam, invito Aristotele, melius est a rege, modo rectus sit, quam a lege gubernari.

Quod enim sensit Aristoteles, melius esse legum quam principis regimen, quia cupiditatibus princeps perverti potest, hoc quidem de naturali jure accipiendum putat Ægidius, quia naturale jus supra regem est, quum nemo rex vere sit, nisi pro lege naturali regnet; sed, quum lex positiva *dicat universaliter quod non est universaliter observandum*, *nec singula determinet*, quæ magis varia sunt quam *ut regula inflexibili mensurari possint*, opus esse credit principante qui legem positivam, pro ratione et lege naturali, singulis accommodet, severior aut clementior quam ipsa positiva lex, prout res tulerit.

Supra leges naturales et positivas tertia denique lex est, Evangilica scilicet, sine qua supremum finem suum, id est felicitatem æternam, homines adipisci nequirent. Hanc regibus summa reverentia observandam colendamque ponit Ægidius; sed id certe

(1) Melius B. Thomas definit quæ lex omittere debeat :

« Non tamen de omnibus actibus omnium virtutum lex humana præcipit, « sed solum de illis qui ordinabiles sunt ad bonum commune. »

(Prima secundæ, quæst. 96, art. 3.)

notandum, quod non ultra progrediatur, nec, Christianæ fidei studio, ullam hæreticorum insectationem ullave Pontfiicibus privilegia. Pontifex ipse requirat. In quo certe et Aquinate magistro et ipso Bossuetio meliora sentit (1).

TERTIA PARS : **De regimine civitatis, belli tempore.**

Hic absolvatur secunda pars tertii libri, et inchoatur tertia, de regimine regni belli tempore. Ab hac autem abstinebimus, quum nobis parvi pretii videatur de arte militari, ut tum erat, disserentem sequi. Id tantum notemus, bellum, ut cætera, in commune bonum institui debere, nec alios esse legitimos militiæ usus, quam propulsionem hostium, seditionum compressionem, et defensionem bonorum contra malos. Uno verbo, bellum in pacem utique *ordinandum est;* nec ullum in externos magis quam in cives violentiæ jus concessum.

Conclusio.

Hic explicit liber de Regimine principum, editus a fratre Ægidio Romano, ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini.

(1) Sanctus Thomas, 2a 2æ, quæst. 10, art. 8. — Bossuet, *Sermon sur les devoirs des rois.*

Fere omnem, ut videre fuit, de moribus et de familiæ administratione doctrinam ex Aristotele hausit, paucis exceptis, quæ ex Aquinate sumpsit, Aristotelis ipso quoque fautore; Christianæ ideo doctrinæ non satis memorem aliquando eum deprehendere fuit, et jure negari potest *moralem Æconomicamque* Aristotelis disciplinam Christiano doctori profuisse.

Major ei laus in Politica. Multa quidem hic quoque ex Aristotele et Aquinate hausit; sed propriam tamen, nec ingloriam, doctrinam hic sibi paravit, nec pariter est reprobanda, si qua in ea fuerit, Aristotelis imitatio.

Si quidem tractatus *De Utraque Potestate* illi attribuendus est, pauci plura contulerunt ad constituendam plenam illam regum Francorum potestatem, quæ, jam tum exorta, et in dies magis efflorescens, semper excrevit, donec ad absolutam auctoritatem, sacrosanctamque majestatem Ludovici Decimi Quarti perveniret. Ut vere sacrosancti reges haberentur, nec a quoquam e solio detrudi jure possent, necesse erat, quum ejus sit nolle cujus est velle, ut nulla in eorum origine pars sacerdotibus attribueretur, totamque potestatem a solo Deo tenere declararentur; et hoc fuit Ægidii opus.

Si autem ab alio quoquam liber iste fuit compositus, tum quoque de *Monarchia* bene meritus est Ægidius, nam eam saltem tanquam optimam civitatis formam aperte posuit, et hæreditate con-

firmatam e nobilium tutela vindicavit, solaque principis religione, Deique et populi metu temperavit.

Magnus Ægidii doctrinæ apud æquales posterosque usus. Jam, vivo adhuc auctore, liber *de Regimine principum* in Gallicum sermonem ab Henrico *de Gauchi* translatus est; moxque item, sub Carolo Quinto, et a Rudolpho Prellæo, Tractatus de *Utraque Potestate*. Multa quoque ejus vestigia in sequentibus scriptoribus reperias, etiam si ab iis non nominetur. Inter quos, ut aliquos tantum indicem, Mariana pleraque illius argumenta de unius principatu, de hæreditate regni, de magna inter regem tyrannumque discrepantia, de regii alumni educatione, usurpavit, in libro *de Rege et de institutione regis*. Item Bodinus in *Republica*, quum de hæreditate disserit; item Bedæus quum de regiæ potestatis origine; et verisimile saltem haberi potest Ægidii opera Bossuetium diu multumque versavisse, quum de monarchiæ præstantia, de regni hæreditate, de virtutibus regiis, de consiliariis denique et promulgatione legum, omnia fere eadem contenderit.

TABULA RERUM

QUÆ IN HOC LIBRO CONTINENTUR.

Pagina

PROOEMIUM. 1

ÆGIDII VITA. 3

De modo demonstrandi et de operis fine. . . 6

De divisione operis. 11

LIBER PRIMUS : De regimine sui. 16

Prima pars : De fine principis.. 16

Secunda pars : De virtutibus principis. . . . 19

Tertia pars : De passionibus principis. . . . 29

Quarta pars : De moribus principis. 31

LIBER SECUNDUS : De regimine familiæ. . . . 35

Prima pars : De regimine uxoris. 36

Secunda pars : De regimine liberorum. . . . 39

Tertia pars : De regimine instrumentorum laboris. 41

Pagina

Liber tertius : De regimine regni. 48

Prima pars : De politicis veterum philosophorum sententiis. 50

Secunda pars : De regimine civitatis, pacis tempore. 53

Tertia pars : De regimine civitatis, belli tempore. 82

Conclusio. 82



Vu et lu, à Paris, en Sorbonne, le 4 octobre 1857, par le doyen de la Faculté des Lettres de Paris.

V. W. Le Clerc.

Permis d'imprimer :

Pour le vice-recteur,

L'inspecteur de l'Académie,

Delalleau.